# COMMENTARIVS IN CATEGORIAS ARISTOTELIS *VNA CVM QVÆSTIONIBVS IN EAS*-dem,

autore Gaſparo Cardillo Villalpan
deo Segobienſi eloquentiæ, & libe
ralium Artium compluti pro-
feſſore, atque etiam col-
lega diui Ille-
phonſi.

Ad illuſtrem, & clariſſimum virum Honoratum
Ioannium Caroli principis Hiſpaniarum præ-
ceptorem digniſſimum.

Ieſus eſt ſpes mea.
Si quid mirabere, pones inuitus
reddituro. Satis.

Compluti.
Ex officina Ioannis Brocarij.
Anno 1558.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

¶AD CLARISSIMVM VIRVM HONORATVM IOANNIVM CAROLI PRINCIPIS noſtri præceptorem digniſsimum Gaſpari Cardilli Villalpandëi in Ariſtotelis categorias

Præfatio.

INſignis tua virtus, prudẽtia ſumma, incredibilis humanitas cum generis nobilitate cõiuncta, clariſsime, atque doctiſsime Honorate, tam ingentes animos faciũt probis omnibus, & bonarũ literarum ſtudioſis hominibus, vt cùm magno aliquo præſidio opus eſt, ad te protinus, tanq̃ ad cõmunem omnium patronũ cõfugiant, & tuã opem, veluti virgulam diuinã implorẽt. Quis eſt enim, à quo malorũ, quibus ſtudioſi premimur, ſolatia ſperare debeamus, niſi qui poſsit, cùm velit, & prodeſſe ſemper cupiat? Iſtæ ergo excellẽtes ingenij tui, atq; animi dotes, partim Dei beneficio natura cõceſſæ, partim verò diligẽtia atq; ſtudio aut cõparatæ omnino, aut meliores effectæ, multos impulerũt, vt ſtuderent diligẽter te ſuis rebus, veluti numẽ aliquod, præſentẽ habere. Et ne externis teſtibus (quorũ numero facilè obrueremur) fidẽ faciamus, hæc maximarũ tuarũ virtutũ publica fama, alieno præſidio plurimùm indigẽtem ſolicitat, & veluti languentẽ excitat, & cogit, vt me tibi inſinuẽ, &, quacunq; ratione poſsim, tuã gratiam promerear. Etenim ſi quis eſt bonarũ literarum in Hiſpania cupidus, atq; ſtudioſus, qui Caroli principis noſtri (.l. hoc nomine feliciſsimi, quòd te inſtitutorẽ habet) patrocinio plurimùm indigeat, is ego ſum, cui aduerſus innumeras copias ſophiſtarum pro aris & focis .i. pro bonis literis bellum ſuſceptũ eſt. Quanquàm enim virtute ſinguli, (quod tu optimè noſti) parùm valeant, certè clamore

maledi-

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*maledicendi, rabie, turba etiam valent plurimùm: præſertim cùm coniurati quempiam aggrediuntur.*

*Quantam ſuperioribus tēporibus ſophiſtarum, hoc eſt, impoſtorum hominū culpa bonæ literæ calamitatē pertulerint, quātumq; à priſtina illa ſua dignitate iſtorū vitio exciderint, neq; huius temporis ratio patitur dicere, neq;, ſi maximè pateretur, expediret referre tibi, qui in optimis quibusq; literis, & præſtātiſsimis diſciplinis ab ineunte ætate verſatus, maximos in eiſdē progreſſus feciſti: neque tam aliena fama, quàm proprio periculo didiciſti, quid diſtent æra lupinis.* nouiſti inq; diſcrimen rerum vilium & preciosarum.

*Sordes illas, quas præclare artes, & diſciplinæ cōtraxerāt, partim regum & principū virorum liberalitate, partim etiā doctorū hominum induſtria,, Germani, Galli, Flandri, atq; Itali penitus abluerūt, & tam ſtrenuè expurgarūt, vt ne tenuis quidem macula fœdæ, atq; horrendæ barbariei apud eos reliqua ſit. Apud nos verò, ad quos ſentina iſta ex cæteris orbis partibus pulſa, cōfluxiſſe viſa eſt, Proh dolor, tā altas radices egit vrēda ſeges, vt nō ſine magno noſtro malo, atq; incōmodo ſæua quadā tyrannide præſtātiſsimas quasq; Hiſpaniæ academias oppreſſerit, atque afflixerit, eaſdemq; apud cæteras nationes barbarie infames reddiderit.*

*Verùm enimuerò, vt graue admodū, atq; moleſtum ſophiſtices iugū noſtris humeris excuteremus, Deus bone, quo ſtudio, quātiſq; animi conatibus quidā ex Hiſpanis virtute, ingenio, atq; literis clari, cōtenderunt meliores nobis literas reſtituere, exploſis ex gymnaſio perditis quibuſdā nebulonibus, penes quos totius rei literariæ, præſertim verò dialecticæ, & philoſophiæ ſumma erat. Hinc effectum eſt, vt in quibus locis minor copia ſophiſtarum erat, qui Enzinas, Dulardos, Strodos, atq; Naueros mordicus defende-*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*rent, & eorũ ſomnia meraſq; nugas tuerẽtur, feliciter hic conatus ſucceſſerit. Huius rei teſtes facio Conymbricã, & Valentiam, nobiles academias, quæ per ſophiſtas calcatos ad præſtantes diſciplinas cõfugerunt. In quibus quãtùm profecerint, qui ex vtraq; academia ſingulis diebus viri doctiſsimi prodeũt, planè teſtantur.*

*In amplioribus verò frequẽtioribusq; gymnaſijs vſq; adeò lẽtus, atq; periculoſus iſte morbus effectus eſt, vt difficilè, etiã ab Aeſculapio curari poſsit. Sũt enim in his locis plurimi, qui præclara moliẽtibus obſtrepant, quid obſtrepãt dico, imò verò qui cùm alia via non poſsint, coram imperita multitudine conuitijs, & maledictis aduerſus eos, qui in libertatem aſſerere ſtudent bonas literas, ſeipſos vlciſcantur, atque illum, qui deliramenta iſta cõtempſerit, ſex qui hæreticum vocent: vſque adeò iſtorum inſania progreſſa eſt.*

*Hæc vna ratio apud pleroſq; doctiſsimos viros tantũ valuit, vt publici officij, cõmuniſq; vtilitatis immemores, ſatius eſſe duxerĩt domi ſe continere, atque intra priuatos parietes otij fructũ capere, quàm illud tentare, quod ſe aſſequi difficilè poſſe confiderẽt, apud ſe illud reputantes, Fruſtra niti (vt Comicus ait) nihil aliud ſe fatigando, niſi odium quærere, extremam eſſe dementiam.*

*Iſtorum hominũ ſententia ſi quo pacto nobis probaretur, facilè quidẽ potuiſſemus apud rude, atq; imperitũ vulgus haberi in pretio. Verùm cũ intelligeremus (quod Plato ait) nõ ſolùm nobis natos eſſe, ſed etiã patriæ, atq; amicis, quicquid nobis ingenij, atq; induſtriæ natura cõceſſum eſt, & quãcunq; literarũ ſuppellectilem ſtudio & diligẽtia noſtra cõparaueramus, decreuimus in communẽ ſtudioſorũ vtilitatẽ cõferre: nõ ignari quantũ diſcrimẽ rei familiaris (cuius iactura facilè ferri põt, cũ ea nobis tenuis admodũ contigerit) & noſtri nominis ſubirem⁹. Cõſolabatur nos illud tñ, Nõ*

*fieri*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*fieri ſine periculo facinus magnũ, & memorabile: atq; in magnis præclariſq; reb⁹ ſat eſſe voluiſſe. Quoniã verò noſtra ſentẽtia, atq; etiã magnorũ virorũ opinione ſtudiorũ dialecticæ, & philoſophię apud nos ſumma ꝑuerſio eſt, hinc auſpicari neceſſariũ putauimus. In primis verò, vt vanarũ nugarum, quibus explicãdis integer annus dabatur, vbertatẽ depaſceremus, atq; inſuper ſummularũ nomine quoſdam, qui iſtis nænijs impenſius fauent, ad lectionem noſtrorũ ſcriptorum traheremus, ſummã quãdam ſummularum confecimus, ſummæ huic* εἰσαγωγὴν *adiecimus, vnde illi inciperent, qui tricas iſtas, aut verius cruces ingeniorum auerſarentur.*

*Hinc progreſsi ſumus ad dialecticã Ariſtotelis, quæ quoniã barbarè, & incultè à Latinis hoĩbus cõmẽtarijs explicata eſt, Latini cuiuſpiã ſcriptoris diligẽtiã requirebat, nam Græcos enarratores magni iſti dialectici ne ex noĩe quidẽ nouerũt. Itaq;, vt cõplutenſi academiæ, quæ me inſtituit, & ſuis ſtipẽdijs alit, ĩ primis gratificarer, ac deinde alijs prodeſſem, in quinq; Porphirij voces, & partẽ quandã librorũ de Priori Analyſi cõmẽtarios inuulgaui. Ii ab improbis quibuſdã, atq; imperitis hoĩbus, & alienæ gloriæ inuidentibus, qui vno, aut altero, atq; eo ſordidiſsimo ſcriptore, quem tanq̃ Deũ venerãtur, colũtq; in familiaribus colloquijs, tãta animi contẽptiõe ſperni, & maledictis ꝓſcindi cœperũt, (nã veris rationibus, quibus noſtrã ſentẽtiã refellerẽt, oĩno deſtituebãtur) vt niſi me maior vis, q̃ humana, ad ſcribendum impuliſſet, deſtitiſſem ſtatim ab incepto. Verùm qui mihi iuſsit hunc laborẽ ſuſcipere, Deus Optimus Maximus, is quoq; animũ fecit excelſum ad calũnias perferẽdas, atq; eã mentẽ inſpirauit, vt patronũ quærerẽ, qui ĩgenio, doctrina, generis ſplẽdore, autoritate deniq; ſua barbaros iſtos poſſet ĩ officio cõtinere, & mihi ad reliqua ꝓperãti adderet calcaria.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Procul aũt abfuit lõgæ inquiſitiõis labor. Nã ſtatim tu mihi occur riſti,* Honorate *clariſsime, qui cõmemoratis naturæ, ingenij, atq; fortunæ dotibus cæteros oẽs viros doctos longo interuallo ſuperas. Niſi enim in te oẽs, quas dixi, virtutes cumulatę adeſſent, nunq̃ te Philipus rex noſter inuictiſsimus,* Carolo *filio vnico regnorũ hęredi præceptorẽ magno cõſenſu oĩm virorũ bonorũ dediſſet. Me igitur ſub tuo patrocinio ſuſcipe,* Honorate *doctiſsime, & loci, in quo te tua virtus collocauit, maieſtate, tuiq; nõis celebritate labores iſtos meos ita defende, ne quiſpiã impedimẽto ſit, quò minus Hiſpaniæ proſim, cuius iuuãdæ cauſa in animũ induxi meum, Ariſtotelem quãta maxima poſſem diligẽtia interpretari. Ea enim rõne (quantũ ego intelligo) planior, expeditior, atq; iucũdior ſtudioſis hoĩbus ad Ariſtotelẽ aditus patebit. Quod tu ꝓ tua ſingulari eruditione, atq; etiã erga bonas literas, & pręclara ingenia animo vehemẽter exoptaſti: neq; tã diu Hiſpania noſtra, fœcũda parẽs magnorũ ingeniorũ barbariei nõie apud exteras quaſq; natiões malè audiet. Nihil enim efficatius eſt ad peruertẽdũ iudiciũ animi, q̃ ſi triobolaribus his minutiſq; philoſophis aſſueſcas, & fontes, vnde bonę literæ ortæ ſunt, prætermittas. Quod in hiſpania pleriq; omnes, qui in academijs philoſophati ſunt hactenus, fecerũt. Nã cũ opinioni ſint addicti eius ſcriptoris, quẽ enarrãt, etiã ſi plũbeus ſit, veritatis ſtudiũ deſerũt, atq; eandẽ ſæpenumero clamoribus, cõtentionibus, & pertinatia obrruũt: ea ſiquidẽ (vt Mimus dixit) nimiũ altercãdo amittitur. Sed iam meã enarrationẽ in Ariſtotelis categorias æquo animo audi. Hanc ſi tibi intellexero nõ diſplicuiſſe, aliquid me feciſſe putabo, quod ad iuuandũ cõmunia ſtudia bonarũ artiũ cõducat: inſuper etiã inceptã enarrationem dialecticæ, & philoſophiæ Ariſtoteleæ abſoluã. Cõpluti ex collegio, & bibliotheca noſtra, Calendis Ianuarijs.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

# CARMEN CHORIAMBICVM PRO DOCTISSIMO VIRO GASPARO CARdillo Villalpandeo cõtra ſophiſtas, autore Antonio Torre eius auditore.

*Quo ſe Græcia tempore*
*Pluſquam cimmerijs nubibus obrutam*
*Senſit fraude ſophiſtica:*
*Deludique malis comperit artibus.*
*Illum nichomacho ſatum*
*Perfectum numeris edidit omnibus:*
*Qui mentis face lucida*
*Obſcura ingenij nubila pelleret:*
*Conuictis hominum dolis.*
*A quo memoriæ prodita veritas,*
*Facta eſt peruia plurimis.*
*Pòſt oppreſſa iterum deliuit diu,*
*Infauſta vice temporum.*
*Quam nunc reſtituit Gaſparus integrã*
*Nobis pectore candido.*
*Dum verbis Latiis explicat organum:*
*Quod turpe fuit hactenus*
*Autorum vitio gentibus inuium.*
*Et dum quotidie erudit*
*Ingentem veterum more frequentiam:*
*Præceptiſque alit optimis*
*Ad veram quibus itur ſapientiam,*
*Ne quo tramite barbaro*
*Deflectat labefactata ſophiſticis,*
*Fucatis & ineptijs,*
*Quæ ſenſus hebetãt, atq; animũ aſſolẽt*
*Noſtrum perdere faſcinis,*
*Quando in futilibus gloria quæritur,*
*In falſiſque ſophiſmatis.*
*Sed ne ſit reliquus fraudibus his locus,*
*In certamina publica*
*Deſcendit, media & ſe dat in agmina:*
*Vt conatibus obuiam*
*Tota ſemper eat mente nefarijs.*
*Aſt hoſtes numero valent,*
*Et turba ſuperant, murmure mutuo,*
*Et clamoribus exciti.*
*(Nam nullis locus eſt hic rationibus)*
*Conceptaque ſophiſtica*
*Iram nec cohibent, nec ſibi temperant.*
*Quin conuicia iactitent,*
*Erumpant, faciant & ſimul impetum,*
*In te maxime Gaſpare:*
*Qui noſtris tenebras mẽtibus amoues*
*Doctrinæ melioribus*
*Donis, quæ dare pergis modo plurima,*
*Vt nos omnibus adiuues*
*O Cardille modis, ſed furor imparem*
*Hanc reddit tibi gratiam*
*Pro tantis meritis, ſed ſine tranſeat*
*Hic ardor, furor, impetus.*
*Quæ nunc Cæſareo pectore ſuſtines:*
*Vt portes tua præmia.*
*Nam ſic ſic opus eſt te prius expeti*
*Aduerſo quaſi turbine:*
*Vt quanto tua virtus premitur magis,*
*Tanto ſe magis efferat.*
*Poſt triſteſq; hyadas, Sol tibi gratior*
*Vultu luceat aureo.*
*Nam fuſſum ſequitur laurea ſanguinẽ.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

# ¶ CARMEN ELEGIACVM AD illuſtriſſimum virum Honoratum Ioannium principis Hiſpaniarum Magiſtrum.

*Gaſparus æterni doctique voluminis autor*
*Hæc victura tuo nomine ſcripta dedit.*
*Vt qui Cæſareas nutu moderaris habenas,*
*Heſperijque animum Principis arte colis.*
*Mecœnas foueas, clarum & tuearis alumnum:*
*Qui patitur capitis dira pericla ſui.*
*Monſtra ſophiſtarum quod iberis pellit ab oris:*
*Dum fauſto ad ſophiam ſydere munit iter.*
*Atq; quod à tenebris veterum monumenta ſequutus*
*In lucem diuum reddit Ariſtotelem.*
*Quæ quoniam eſt noſtris res inuidioſa ſophiſtis:*
*Illorum rabie tunditur atque probris.*
*Quare explode hominum genus exitiale Theatris,*
*Multo his Cæſareo munere plura potes.*
*Vt ne iam iuuenes perdat, perturbet & artes,*
*Vtque in conatus deſinat ire pios.*
*Quod ſi his Hiſpanas monſtris purgaueris vrbes,*
*Iure Pater patriæ, iure Patronus eris.*
*Tunc euolnetur liber hic ſine fine per orbem:*
*Tunc meritò manibus virque, puerque teret.*
*Tunc, vt lux noctem premit, & victoria Martem:*
*Et probra, & rabiem vincet, & inuidiam.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

# Commentarij in categorias ARISTOTELIS VNA CVM QVAESTIONIBVS IN EASDEM.

## Quæſtio prima. De ordine.

ANteaquàm alio properemus, locus admonere videtur, atque ipſa interpretandi ratio, vt de ordine pauca dicamus, vt conſtare poſsit quo loco reponenda ſint Ariſt. prædicamenta inter eos libros qui facultatis diſſerendi partes continent. Eſt enim ordo potiſsima res ad doctrinam comparandam. Nam vt Plato ſcribit lib. vi. de legibus, quicquid eſt ordinis particeps cuncta ex eo bene procedunt, quæ vero ordine carent vel male ordinata ſunt ea etiam quæ bene ſunt ordinata perturbãt atque confundunt. Sed quoniam in prologo quinque vocum porphirij ſatis multa de his à nobis ſcripta ſunt ſuper vacaneum fuerit in præſentia de eiſdem plura præfari, illa ergo tantum attingemus quæ intellexerimus eſſe neceſſaria admodum ad id quod tractamus.

Ordo, doctrinæ ad modũ confert.

Plato.

Cum autem inter cæteros duplex ſit modus tradendi doctrinam vnus componendi, reſoluendi alter de quibus eſt à nobis diſputatum loco citato, Ariſt. in dialectica tractanda componendi rationem ſequutus eſt, atque ob eam rem à partibus ad totum à ſimplicibus inq; ad compoſita procedit. cum autem nihil ſit in dialectica ſimplex magis quàm κατηγορίαι quæ vulgo prædicamenta vocãtur, iure optimo prædicamenta primo loco reponenda ſunt atque ab hijs inchoanda tractatio. Idem quoque conſtat ex fine, nam cum finis Facultatis diſſerendi ſit demonſtrationem conficere quæ ſit inſtrumẽtum quo verũ à falſo contẽplantes ſeparemus, agentes quoque ab iniquis æqua ſeiungamus: & Primum contemplantibus ſit poſtremum agẽtibus, proculdubio liber prædicamentorum volentibus comparare cognitionem dialecticæ primo loco collocandus eſt, continet enim prima prin-

Duplex eſt modus tractandi doctrinã Ariſt. in dialecticã tractãda componendi rationẽ ſequut⁹ eſt.

Prima ratio.

Finis facultatis diſſerendi eſt demõſtrationem conficere.

Secunda ratio ex fine.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*cipia quæ ſunt neceſſaria ad conficiendam demonſtrationem, Simplices inquám voces, ex quibus enunciationes efficiuntur.*

## ¶ Secunda quæſtio. Quod ſit propoſitum Ariſt. in hoc libro.

*Propoſiti cognitio multum conducit. Ratio.*

PRoximum eſt & coniunctum explicatæ quæſtioni quærere & conſtituere quæ ſit mens & propoſitum Ariſt. in lib. prædicamẽtorum. vbi enim quæſtionẽ iſtam apperuerimus minori negocio quæ reſtant explicabuntur. ea vero re ignorata nunquàm aut difficile admodum eò perueniemus quo contendimus. Accidet præterea proculdubio niſi id plane cõſtet. vt qui legit aut audit plane putet ne quicquàm eſſe ſcripta omnia.

*Prima ſentẽtia. Secunda opinio. Herminius. Hãmoniꝰ Tertia opinio. Nullũ in prædicamẽtis ponitur nomẽ ſecundæ notionis.*

Sunt qui dicant Ariſtotelem in hoc libro de decem generibus ſupræmis diſputare qua ratione ſunt ſecunda nomina aut notiones ſecundæ quæ vulgo nomina ſecunde intẽtionis nominantur. alij ferũt ſine diſcrimine vllo de quibuſuis vocibus haberi ſermonem, ſiue illæ primæ voces ſint, hoc eſt, primæ notionis, ſiue ſecũdæ. mihi vero magis probatur, herminij atque hamonij veterum peripateticorum ſententia, qúi dicunt propoſitum Ariſtotelis in præſentia eſſe de primorum nominum prædicatione diſputare. nam in prædicamentis nullum ponitur nomen ſecundæ notionis vt plane conſtare poſſit abeunti per decem ſuprema genera. Docet enim qua ratione medijs conceptionibus animi ſuperiora de inferioribus prædicentur, atque ex eiſdem prædicamenta, id eſt ſeries atque ordines vocum cõficiantur.

*Trifariã prædicamentũ accipitur. Secunda. Tertia.*

Ex his quæ diximus aperte conſtat huius libri ſubiectum, prædicamentum eſſe, prædicamẽtum vero trifariam vſurpatur. primum pro quauis voce, deinde pro ſerie plurimarum vocum quarum aliæ ſub alijs collocantur. quo ſenſu accipitur cum hominem dicimus poni in prædicamento ſubſtanciæ. quaſi velimus ſignificare ad illam ſeriem pertinere quæ à ſubſtantia primo dimanat. Quo etiam intellectu Porphirius in cap. de ſpeciæ. in quouis, inquit, prædicamento eſſe ſupremum genus, in fimam ſpeciem, atque etiam inter media. Poſtremo

(c) 2007 Ministerio de Cultura

mo pro generæ ſupremo accipitur qua ſignificatione vſurpatur cum hominem dicimus exiſtere ſub prædicamento ſubſtantiæ. quo ſenſu Ariſtoteles cap.xij. lib.v. de prima philoſophia inquit, eadem genere ſunt quorum eadem eſt prædicamenti figura hoc eſt, quæ contenta ſub eodem genere ſupremo ab eo ſummunt appellationem.

Cum ergo dicimus prædicamẽtum eſſe ſubiectum huius libri prædicamentum accipimus ſecunda aut tertia ſignificatione earum quæ à nobis connumeratæ ſunt. Ratio eſt quia in hoc libro Ariſtoteles decem ſeries aut ordines vocum explanat. Rurſum decem indicat ſuprema capita tanquàm primos fontes vnde cætera ducuntur. Prædicamentũ ſecũda aut tertia ſignificatiõe ſumptum: eſt hui⁹ libri ſubiectũ.

Quod ſi hoc loco de inferioribus genere vocibus aliquid diſputatur de his ſane non diſſeritur tanquàm de ſubiecto huius libri aut per ſe ſed quatenus ad ſeriem conficiendam referuntur aut ſub genere ſupremo collocantur. Obiectio

## ¶Tertia queſtio. Quis ſit titulus huius libri.

SVbſequitur dubitatio, de titulo huius libri, de qua re anceps inter veteres philoſophos qui Ariſtotelem interpretantur pugna fuit. Porphirius comentarijs in Ariſtotelis prædicamenta autor eſt, quoſdam opinatos fuiſſe inſcribi debere librum ante topica, alios de generibus entis, nonnullos de decem generibus. verum iſtorum titulorum ratio facile refellitur & autorum iſtorum ſentẽtia exploditur. Nam ſi liber ante topica dicitur, quòd libros topicorum Ariſtotelis antecedat, cur non vocabitur liber ante reſolutoria? & librum de interpretatione? quando cognitio earum rerum quæ hoc libro traduntur admodum neceſſaria eſt, ad doctrinam reſolutoriam comparãdam atque etiam doctrinam illam quæ in libro de interpretatione continetur. Præſertim cum prædicamenta ſcripta ab Ariſtotele non ſint gratia topicorum ſed potius cauſa demonſtrationis. Porphirius. Prima ſenten. Secũda. Tertia. Refellũtur ſentẽtiæ. Vſus prædicamẽtorum.

Neque rurſum dici debet liber de decem generibus, aut de generibus entis, cum in eodem non diſſeratur de decem generibus, qua res, aut entia ſunt: ſed potius qua ſunt voces, & de inferioribus prædicã- Qua ratiõe agat Ariſt. de prædicatur.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

tur. Hec enim Ariſtotelis prædicamẽta vocat in enumeratione prædicamentorum, cum inquit, eorum quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, ſingulum: aut ſignificat ſubſtantiam, aut quantitatem. &c. & paulo inferius cum inquit ex iſtorũ vinculo atque nexu fieri affirmationes & negationes. quod nulla ratione rebus accommodari poteſt. vt inſcribatur liber de decẽ generibus rerũ, aut entis.

*Quare p̃dicamenta dicantur κατηγορῖαι.*

*analogia quidem à iudiciarijs.*

Appellantur ergo græcè κατηγορῖαι, latinè ſeries aut ordines vocum vocari poſſunt. Licet autem verbum κατηγορέω idem ſignificet latinis quòd accuſo, & in præſentia nulla accuſationis ratio habeatur non ſine quadam venuſtate prædicamenta illam appellationem obtinuerũt, vt cathegoriæ, ideſt accuſationes dicerentur. á foro trãſlato vocabulo. Nam quemadmodum in delationibus & conuentionibus iudiciarijs, eſt qui petat, & qui ſe defendat, eſt qui crimen obijciat & qui propulſet, ita quoque in vocibus de quibus in præſenti libro diſputatur, analogia aut proportione quadam euenire exiſtimandum eſt. Nam voces ſuperiores aliquid obijciunt inferioribus cum de illis prædicantur. inferiores vero voces vel ſubſtinẽt prædicationem, vel repellunt illatam. atque hæc potiſsima ratio eſt vt Porphirius inquit, Cur prædicamenta aut ordines vocum græce κατηγορῖαι nominentur, nam cathegoria verbale nomen prædicationem ſignificat. vnde Capella quod nos prædicamenta, prædicationes vocat. & Quintilianus elementa. Quaſi dixeris initia enuntiationum. Suppeditant enim materiam aptam enunciationibus conficiendis.

*Porphirius.*

*Capella.*

*Quintilianus.*

## ¶ Quarta quæſtio. Quam vtilitatem adferat nobis cognitio prædicamentorum.

*Prima opinio.*

*Petrus Ramus.*

PRoxima eſt illa quæſtio quem vſum poſsimus capere ex cognitione prædicamentorum. Id ſi cõſtiterit auidius multo laborem ſuſcipiemus, Non deſunt qui dicant, nullo modo prodeſſe nobis prædicamentorum cognitionem, quinimo inanem eſſe laborem, atque ſuperuacaneum qui illis intelligendis impenditur. in his eſt Petrus Ramus homo mea ſententia ad repræhendendum graues inprimis au-



(c) 2007 Ministerio de Cultura

tores & ſæculorũ conſenſu probatos natus. Is quaſi furijs correptus, verbis atrocibus vniuerſam Ariſtotelis dialecticam (vt cætera taceam) inſectatus eſt, quam tanto labore reliquis artibus comparandis neceſſariam ſcriptam nobis Ariſtoteles reliquit. Vir vt ſcribit Hieronimus, cuius ingenio datum eſt, quicquid capere poteſt humana natura. & quem tanti facit diuus Tho. vt in eius doctrina non ſecus faciat morum teſtimonia quàm ſi natura ipſa loquatur. Is ergo Petrus Ramus in animaduerſionibus in Ariſtotelem aperte teſtatur in ſcribendis prædicamentis philoſophum luſiſſe operam. neque eſſe curà nobis attingi debeant. cuius ſententia quoniã iudicio ſcholæ Parriſienſis vinculis & carcere caſtigata eſt nulla cauſa eſt cur à nobis refelli debeat. Ludouicus autem viues argumentis quibuſdam doctrinam prædicamentorum ſtuduit labefactare, quæ ſunt à me in præſentia explicanda atque etiam refellenda. Primum argumentum eſt. Prædicamenta ſumpta ſunt ex prima philoſophia, ergo ſine eius cognitione non poſſunt cognoſci, fruſtra igitur atque innaniter pueris traduntur metaphiſicæ aut primæ philoſophiæ ignaris. Deinde, quia ex doctrina prædicamentorum nullus vſus capi poteſt. Nam ſi ex eorundem cognitione aliquid emolumenti caperetur maxime ad faciendas rerum diffinitiones, ſed ad hoc non iuuant prædicamenta cum præter vnam aut alteram ſeriem, Reliquæ ſint ignotæ vel propter penuriam differentiarum quam (commentarijs in caput de differentia) ſummam eſſe oſtendimus ergo fruſtra labor impenditur cognitioni prædicamentorum.

*Hieronymus in regula monachorũ. Ariſtotelis encomium. Thomas. Petri Rami correptio Parhiſijs. Ludouicus viues Prima ratio Ludouici. Secunda.*

Poſtremo quia prædicamenta cognoſcere non eſt neceſſarium vt habeamus ſubiectum & prædicatum, quibus tanquàm partibus efficitur enuntiatio. nam cum illa nomine & verbo conſtet vt ſcribit Ariſt. in capite de oratione ſatis eſt explicare & cognoſcere nomen & verbum, quæ cum explanentur in libro perihermenias merito cenſeri debet ſuper vacaneus liber prædicamentorum.

*Tertium*

Nos tamen iſtorum ſententiæ atque opinioni minime fidem habemus quinimo multas atque illas omnes maximas & præſtantiſſimas vtilitates capi poſſe putamus ex cognitione prædicamentorum.

*Noſtra ſẽtentia.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Vſus prædicamentorum. Primus. Hammonius.*

Quarum bonam partem in præſentia referemus vt vehementius incendamus animos ad huius doctrinæ cognitionem. in primis (vt refert Hamonius) confert quidem doctrina prædicamentorum ad vtranque partem philoſophiæ intelligendam actiuam videlicet & contemplatiuam. Nam demonſtratio qua philoſophi plurimum vtũtur in vtraque parte philoſophiæ explicanda, neque cõfici, neque confecta iam vllo modo cognoſci poteſt ſi ſimplices voces ignorentur, ex quibus primum fit ipſa demonſtratio.

*Secũdus.* Deinde quia cum rerum notitia admodum neceſſaria ſit ad quãlibet diſciplinam capeſendam, & magna rerum copia ſit, fuit ſane neceſſarium, tantam rerum vbertatem compeſcere, & paucis quibuſdam vocibus comprehendere, vt minori negocio atque ſtudio efficeremus quod cupimus. quod cõtigit etiam in arte grammatica, octo ſiquidem partibus orationis grãmaticæ auctores complexi ſunt tantam dictionum varietatem quantam cernimus in grammatica. dialectici ergo ea omnia de quibus controuerſia eſſe poteſt, decem generibus concluſerunt quæ prædicamenta vocantur.

*Tertius.* Tertio cognitio vniuerſalium vocum, generis ſpeciei, & cæterarum, neceſſaria eſt dialectico, ſed illa nõ traditur alibi, quam in hoc libro. liber igitur prædicamẽtorum futuro dialectico maxime vtilis eſt. tametſi enim in explanatione quinque vocum porphirius doceat, quid iſtorum ſingula ſint, minime ſane docet, cuius genus hoc ſit, cuius illa ſpecies. aut quæ ſubiecta ſint quæ prædicata, doctrina vero prædicamentorum aperte docet, cuius genus quodque ſit, & cuius ſpecies, & denique quæ ſub quibus reponantur atque exiſtant.

*Quart⁹.* Eſt etiam ille vſus decem prædicamentorum, quòd ſine his cõſtare non poteſt pars illa dialecticæ quæ τοπικὴ dicitur. cum enim omne problema generis ſit aut definitionis, aut proprij, aut accidentis, iſtorum autem ſingula ſub decem prædicamentis reponantur, fieri nõ poteſt, vt inuentionis natura pateſcat ignorata ea parte quæ prædicamenta tractat. quam rem Ariſt. Primo topico. his verbis ſignificat. *Capit.* Poſt hæc autem oportet determinare genera prædicamentorum in quibus ſunt dictæ quatuor differentiæ. Sunt autem hæc numero de-



(c) 2007 Ministerio de Cultura

cem quid eſt, quantum, quale, ad aliquid, vbi, quando, ſitum eſſe, habere facere & pati. ſemper enim accidens, & genus, & proprium, & diffinitio, in vno horum prædicamentorum erit.

Conducit rurſum ad efficiendas definitiones, nam ad hoc vt rem quampiam definiamus, inquirendum in primis nobis diligēter genus eſt, ſub quo res illa exiſtit, deinde generi differentia addenda eſt, quouſque tandem perueniamus ad id quod æquale ſit atque etiā proprium eius rei quam definire volumus. cuiuſmodi præceptū ſecutus, Ariſtoteles. iij. phiſico. motus finitionem, primo autem libro de anima, animæ finitionem inuenit. Idem quoque ſeruat ſecundo ethico. quo loco virtutē conſtituit. Sed niſi haberemus perſpecta certa quædā genera ſub quibus omnia cōprehēduntur aut nullo modo aut difficile admodum genera & differentias inueniremus, eſt ergo maxime neceſſarium ad efficiendas definitiones rerum prædicamenta cognouiſſe. neque obſtat quod à Ludouico viue obiectum eſt vix vnam aut alteram differētiam cognoſci à nobis poſſe, nam culpa huius rei in noſtræ mentis imbecillitatem, non in ipſam doctrinam conijciēda eſt. Deinde licet veræ atque etiā, germanæ differentiæ prorſus ignotæ ſint, neque doctrina vlla, atque præceptis ex tanta rerum perplexitate, atque etiam obſcuritate in lucem hominum educi poſſint, hæc ipſa doctrina propria rerum ſuppeditat, quibus vbi veris differentijs deſtituimur pro differentijs vtimur. Quint⁹. Definitionis cōparādæ modus. Diluuntur obiectiones.

Poſtremo proſunt prædicamēta nobis vt habeamus veluti decem communes locos vnde argumētum ſumamus ad explicādam de quacunque re quæſtionem propoſitam. quicquid enim de quo quæſtio eſt, vel ſubſtantiam declarat, vt ſit ne animus corporeus? Aut quantitatem, vt vtrum ſol ſit maior tota terra? Aut qualitatem, vt ſit ne mūdus Rotundus? Aut confertur cum altero, vt vtrum ſpecies generis ſpecies ſit an indiuiduorum? Aut facere, vt vtrum videamus aliquid agendo? Aut pati, vt cernamus ne aliquid recipiendo? Aut locum, vt ſolitus ne fuerit Cicero in tuſculano diſputare? Aut tempus, vt vtrū aurora gratiſſima muſis? Aut ſitū, vt ſit ne ſolus homo rectus? Aut habitum, vt vtrum homines aliqui ſint vilis tecti vt beſtiæ? Conſtat Sextus.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ergo hanc tractationem in primis eſſe vtilem cum nihil rogari poſsit quod nõ ab iſtorum aliquo quaſi capite deſumatur. nam & quinque illæ voces de quibus à porphirio diſputatum eſt in prædicamentis reperiuntur atque exiſtunt. His explanatis plane conſtat ſolutio argumentorum quæ initio huius diſputationis adduximus. Aduerſus illorum ſententiam qui ferunt cognitionem prædicamentorum dialecticis nullam vtilitatem adferre. Quamquàm enim decem iſta genera quæ in libro prædicamentorum explicantur ex prima philoſophia ſumpta ſint, nulla ſanè ratio eſt, cur propter obſcuritatem in frugifera putari debeant. nam tametſi alibi de eiſdem ſublime atque excelſe dicatur, iſto loco ea ratione explicantur quæ introductionem decet. nam in præſentia de decem tantum vocibus agitur, in libris metaphiſicorum de decem partibus entis, quarum cognitionem capere difficile eſt.

*Soluit ſupra conſtituta argumenta. Prima ratio ſoluitur.*

*Secunda.* Rurſum quamuis cognitio nominis atque verbi ad enũtiationem conficiendam ſatis ſit, Profecto vt varia eius genera diſcernamus, neceſſaria cognitio eſt decem ſummorum generum, quæ prædicamẽta nuncupamus. Præſertim cum enunciationes nõ tam ex ſecundis nominibus qualia ſunt nomina atque verba, quam ex primis efficiãtur quæ in prædicamentis exiſtunt.

## Quæſtio quinta. Vtrum liber prædicamentorum ſit Ariſtotelis.

Diſcuſſa ſuperiori quæſtione altera cõſequitur ea inquam vtrum liber prædicamentorum ſit Ariſtotelis, quæ quidem quæſtio ingentem habet affinitatem cum ea quæ de libri vtilitate explanata eſt. Iamblicus ergo Platonicus arbitratur falſo hunc librum prædicamentorum Ariſtoteli ad ſcriptum eſſe. putat enim eiuſdem autorem fuiſſe, Architam tarentinum qui antiquitatis opinione paulo ante ætatem Ariſtotelis de prædicamentis diſputauit. Nos vero cenſemus huius libelli autorem Ariſtotelem fuiſſe adducimur in hanc ſententiam primum quidem magnorum virorum teſtimonio, qui

*Iãblicus.*

*Ariſtoteles autor eſt libri ꝑdicam.*

1

græce

græce Ariſtotelem enarrauerũt in his ſunt Hamonius atque Simplicius. deinde quia liber prædicamentorũ nullo modo vitiatus eſt eorum quibus vulgo adulterari libri poſſe creduntur. nam vno è tribus modis vicia ntur. aut æquiuocatione ſcriptoris, aut propter appellationem librorum, aut denique cõſulto dataque opera. Atqui liber prædicamentorum nulla ratione iſtarum vitiatus eſt, & mutato nomine autoris ad Ariſtotelem tranſlatus. Nam qui Ariſtoteles diceretur nullus prædicamenta ſcripſit. libri vero prædicamentorum quos Eudemus, Phanias, Theophraſtus, Archita ſcripſerunt (vt Hamonius refert) confundi cum prædicamentis Ariſtotelis non potuerunt propter ingentem diligẽtiam, atque ſtudium, quod ab Ariſtarco atque id genus alijs doctiſsimis hominibus impenſum eſt inquirẽdis ſcriptis Ariſtotelis atque illis diſcernendis ab aliorum philoſophorum ſcriptis vt magni autores in primis teſtantur.

Hamoni⁹ Sĩplicius

2 Tripliciter inſertur vitiũ libris.

Eudem⁹. Phanias. Theophraſtus. Architas Hãmoni⁹ Ariſtarchus.

Grauitas enim ſententiarum, orationis contextus, dicendi ratio, & ſtilus ſcribendi facile potuerunt oſtendere hunc librum ab Ariſtotele ſcriptum fuiſſe, præſertim cum non ſemel eius mentionem faciat. quamobrem rationi conſentaneum eſt putare librum prædicamentorum quem enarrare cupimus eſſe Ariſtotelis.

Sed quoniã in præſentia de genere ſcribendi quo Ariſtoteles vſus eſt mentio incidit, locus ipſe poſtulare videtur vt de hac ipſa re pauca dicamus. vt in poſterum ipſi per nos de philoſophi ſcriptis ferre iudicium poſsimus. modus ergo quem Ariſtoteles in explicanda dialectica & philoſophia tenet doctrinalis eſt hoc eſt, doctrinæ tradendæ accommodatus. & celer. ſtudet vt ſenſus verbis, verba etiam ſenſibus congruãt, neque alterum ab altero diſcedat. deinde vna aut duabus propoſitis dubitationibus ſolutionem adhibet. nunquàm diſcedit ab his quæ naturæ videntur eſſe conſentanea. atque ideo vbi poteſt euidentiam inquirit earum rerum quas docet, ſiue illam quam mens facit, quæ ſcientiæ peculiaris eſt, ſiue illam quam ſenſus efficit. vnde fit, vt vbi poſsit ſententiam ſuam confirmet communibus hominum ſententijs. Sapientium dictis, aut experimentis. nunquàm à natura diſcedit. quinimo. quæ ſupra naturam videntur eſſe conſtituta ille ſic

Ariſtotelis ratio ĩ exhibenda dialectica & philoſophia.

1 2 3 4 5

C tractat

tractat ut naturalia videri poſſint. quo nomine eius philoſophandi ratio plurimum ſanè differt à ratione quam in philoſophando Plato ſequutus eſt. Ille enim res etiam naturales ita conſiderat, ac ſi diuinæ eſſent. atque eaſdem à ſenſibus hominum ad mẽtem reuocat. Id ut præſtaret commodius tot finxit ænigmata, tot fabulas excogitauit. & tam difficilem numerorum rationẽ amplexus eſt. At Ariſt. iſta omnia odio habuit, atque ab ſcriptis ſuis procul reiecit: contẽtus ſola verborum atque orationis breuitate, quæ obſcuritatẽ eius libris proculdubio cõciliauit: & fuit ſanè familiaris admodũ antiquis & ſummis ſcriptoribus. ut Galenus ſcribit de Hypocrate loquens lib. i. de uſu partium, his verbis. Qua igitur ratione expedi ſcribam ſi prius Hypocratis ſermonem expoſuero plæriſque obſcuriorem, quod eum veterum modo & ſua cõſuetudine, hoc eſt, ſuccinte expreſſit. Nam cum antiquitas putaret indignum eſſe ut ſapientia quæ magnis laboribus conſtat feci vulgi obuia atque expoſita eſſet, ne ſi id accideret paſſim contemneretur eam ipſam cognitam iam fabulis multis, ænigmatibus, metaphoris, & ſimilitudinibus implicuit, ut ea ratione ab eius cõtemplatione atque ſtudio pleroſque repelleret. Ariſtoteles vero cum intelligeret poſſe quenque pro ſuo arbitratu perplexos iſtos gryphos in quamcunque vellet partem rapere, & pro ſui animi libidine interpretari, prætermiſſa ratione ſcribendi quam pitagorici atq; Plato ſequuti ſunt, quandam aliam rationem inijt ad id efficiendũ longe potiorem. Nam obſcuritatem in ſcribẽdo affectauit quam eſt facile ſola breuitate orationis & ſermonis proprietate aſſequutus. hac effectum eſt ut ſupini homines ab eius ſcriptis arcerẽtur & præterea ut ad lectionem ſtudioſos incitaret. Fit enim neſcio quo pacto ut difficultas ſcriptorũ ad laborẽ etiã ſpõte currẽtibus calcaria addat. Ea eſt enim natura atq; ingenium noſtri animi ut vehemẽter cupiat difficultatẽ ſuperare, atq; ad magna & excelſa totis viribus cõtẽdat.

*Diuerſa ratio philoſophãdi Plat. & Ariſt.*

*Galenus.*

*Obſcuritas antiquis familiaris.*

*Mos philoſophandi antiquorum.*

*Humani animi conatus.*

Quaobrem neceſſariũ quidẽ eſt ut qui Ariſtotelem ſuſcipit interpretãdum minime à profunda illa vi & à cumine Ariſtotelici ingenij abſit. Oportet deinde nõ eſſe ignarũ cõſuetudinis ac moris Ariſtotelis in philoſophando, poſtremo opus eſt ut iudicio ſit integro, æquo animo,

*Qualẽ interpretẽ requirat Ariſt.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

animo, nõ vt ſunt plærique corrupto atque iniquo, ne in peiorem partem rapiat quæ ſunt ab Ariſtotele optime ſcripta. Nam ſæpe numero Ariſtoteles hunc animum cupit lectori.

Auditorem autem requirit non oſcitãtem aut aliud agẽtem. Sed ingenioſum potius atq; vt dicit Ludouicus viues attẽtũ atq; otioſum. qui ſophiſticas nugas reſpuat optimas diſciplinas in præcio habeat. Qualem oporteat eſſe auditorem.

Verum cum Ariſtoteles in explicanda philoſophia atque etiã dialectica modum ſeruare ſemper ſoleat qui ſit propoſito negocio maxime cõſentaneus in præſentia rationem ſcribendi ſeruat introductoriam, id eſt nõ ſublimen illam quidẽ atque excelſam ſed humilem potius planã atque expoſitã omnibus. vt rudiũ ingenijs quibus hæc doctrina ſcripta eſt accõmodari atq; ſeruire melius poſsit. quãobrẽ ſæpe numero definiẽdo procedit, diuidit interdũ, nõnunq̃ præcepta tradit. Quã formã ſcribẽdi ſeruet in præſẽtia Ariſt.

Hic liber in tres partes diuiditur quæ vulgo ante prædicamenta. prædicamenta, & poſt prædicamẽta vocantur. ante prædicamentum explicatio vocum quarũdam eſt, quarũ cognitio eſt neceſſaria ad cognitionem prædicamẽtorum comparãdam. vt enim mathematici, cæterique artifices anteaquàm quidpiam definiãt fundamẽta iaciunt, atq; illa aſſumũt quæ intelligunt cõducere, ad ea intelligenda de quibus eſt animus diſputare, ne ſi id facere neglexerint cogantur orationem atque inſtitutũ ſermonem abrumpere, ſic etiã philoſophus, cum eſſet de prædicamẽtis orationẽ habiturus illas voces initio diſputationis explicuit quarũ mẽtionem facturus erat. Atqui iſtarũ vocũ explicatio ante prædicamẽtum vulgo dicitur. ſunt illæ æquiuocum. vniuocum, denominatiuum, cõplexum, in cõplexum, eſſe in ſubiecto, dici de ſubiecto, qua in re nõ ſolum ſecutus eſt Ariſtoteles morẽ & conſuetudinẽ artificũ cæterorũ, ſed præterea documẽtum illud quod capite vltimo octaui libri topicorũ his verbis tradit, Tentãdũ nobis eſt, ea in quæ ſæpiſsimè diſputationes incidũt tenere, queãdmodũ in geometria ante opus eſt circa elemẽta exercitatũ eſſe, atq; etiã in numeris. Libri diuiſio. Ante p̃dicamentũ.

Secũda pars huius libri prædicamẽtũ vocatur. cõtinet illa decẽ ſeries prædicatorũ. docet præterea quæ ſub quibus collocentur atq; exiſtãt. poſtremo qua ratione inquirẽda ſint propria ſummorũ generũ Prædicamentum.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

atque ipſa genera quo pacto explanãdá, hijs qui dialecticæ dare ope ram incipiunt. nam exactior contemplatio iſtarum rerum ad primã philoſophiam referenda eſt.

Quæſtio.

Tertia vero parte quædam voces explicantur quibus Ariſtoteles vſus eſt cum de prædicamẽtis diſputaret. Sunt illæ, oppoſita, ſimul, prius, poſterius, habere. Poſſet tamen quſpiam rogare quid cauſæ ſit cur Ariſtoteles iſtas voces non explicuit in ante prædicamentis quo loco quædam aliæ voces ab eodem explanatæ ſunt? Quæſtio diſſolui-

Vocũ apud Ariſtote. duplex vſ⁹.

tur ſi dicamus voces quibus Ariſtoteles vtitur eſſe in duplici differẽtia, quædam ſunt paucis notæ vt vniuocum, æquiuocum atque aliæ id genus. ſunt enim hæc artis vocabula non vulgi propria. aliæ ſunt communes admodum atque etiam familiares, hijs qui diſciplinarum ſunt atque artiũ ignari. ergo illas voces quæ obſcuræ admodum ſunt & peculiares Artis dialecticæ ne ſuſpenſum auditorem aut lectorẽ diu tenerent, Ariſtoteles initio prædicamentorum explanauit. Illas vero voces quarum cognitio non difficile parari poterat, in poſt prædicamenta coniecit. Hoc eſt aperuit eaſdem, abſoluta iam atque perfecta diſputatione prædicamentorum. Nemo eſt enim qui ſi non exactam cognitionem quam Ariſtoteles tradit loco citato, ſaltim quæ neceſſaria eſt ad intelligenda prædicamẽta, ſecum non adferat. Nam quis eſt obſecro qui non aliqua ratione norit etiam ſi nullus moneat quid ſit habere. ſimul eſſe prius poſterius atque oppoſita. atqui hæc ſunt quæ in poſt prædicamentis ab Ariſtotele explicantur.

## ¶ *Argumentum primi ante prædicamenti.*

*IN præſenti capite Ariſtoteles ſtudet explicare nobis quæ ſint æquiuoca. vniuoca, & de nominatiua, atque ideo tradit nobis definitiones ſingulorum iſtorum.*

## ¶ Caput primum.

Cur æquiuoca, vni

AEquiuoca dicuntur, quorum nomen ſolùm commune eſt, ſecundùm nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa. Vt animal, & *homo,*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

homo, & quod pictum eſt. Horum enim ſolùm nomen commune eſt, ſecundùm nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa. Si enim quis aſsignet quid ſit vtrunq; eorum quo ſint animalia, propriam aſsignabit vtriuſque rationem. *uoca & denominatiua explanet*

*QVæret aliquis hoc loco, quamobrem Ariſtoteles de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis diſſerat. Aiunt quidam, huius rei rationem illam eſſe vt nos doceat quæ ſint ponenda in prædicamentis, & quæ ab illis reijcienda. Siquidem omnium cõſenſu quæ in prædicamentis ſunt collocanda vniuoca oportet eſſe. nam æquiuoca procul abſunt à ſerie prædicamentaria. Iſti tamen autores parum acutè rem vident cum ita loquũtur. nam ſi Ariſtoteles hoc nos docere vellet, non dubium eſt quim nos ſui inſtituti atque ſententiæ admoneret. nunquàm tamen id facit. quamobrem dicendum nobis eſt ea potiſsimum cauſa Ariſtotelem explicare æquiuoca, vniuoca & denominatiua vt intelligamus quædam præcepta quæ ab eodem traduntur in prædicamentis. Si enim iſtæ voces non explicarentur à nobis, quis poſſet intelligere quod Ariſtoteles ſcribit in capite de ſubſtantia, cum ait, commune eſt omnis ſubſtantiæ vniuocè prædicari? Et quod idem refert, Eſſe plæraque quæ æquiuoce prædicentur? Et quod inquit cum de qualitate diſſerit. qualia eſſe quæcunque ab hijs denominatiue dicuntur. Sunt qui dicant ob eam cauſam iſtas tres voces initio explicari ab Ariſtotele quod in prædicamentis tres iſti reſpectus inſint. Omnia enim prædicamenta æquiuoca ſunt. Singula ſi cum inferioribus conferantur vniuoca. vnum vero de altero denominatiue prædicatur. verum illa ſolum ratio mihi probatur quæ proxime explanata eſt. Iam ad cætera ſermonem referamus, & ab Ariſtotele traditas finitiones explanemus.*

*Carpit adductas hoc loco ſentẽtias de Ariſt. propoſito & ſuam ſtatuit. Refellitur ſent. Noſtra opinio.*

*Tertia opinio.*

*Cum noſtri animi in corpore tanquàm in carcere retineantur, ſit vt eorundem intelligentia obſtruatur neque facile homo homini quæ ſentit poſsit exprimere niſi vocum miniſterio. Illæ enim nobis cõceſſæ ſunt à natura vt cogitationes animorum palam faceremus, eſt enim oratio fidelis interpres animi. Duobus autem modis animorum concepta hominibus interpretamur, nam aut nomine dũtaxat,*

*De æquocis & cæteris vocibꝰ ſermo. Vſus vocum.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

aut finitione. Vtroque tamen modo diuerſo, ſiquidem nomine non omnino explicatur natura rei, finitione vero ſcrupuloſe aut per partes exprimitur. Conſtat enim definitio genere & differentia quæ ſunt partes ſpeciei. Iſtæ vero res quas interdum nomine, interdum explicamus finitione in multiplici ſunt differentia. Nam aut habẽt commune nomen & diuerſam finitionem, & appellantur æquiuoca. Aut finitionem eandem habent, diuerſum nomen. & multiuoca dicuntur. Aut nomine & finitione conueniunt, & vniuoca vocantur. Aut neque nomen neque finitionem eandem habent quæ nominantur diuerſiuoca. Quæ à diuerſis differunt, quia diuerſiuoca licet nomine & finitione diſtingantur, verſantur circa idem ſubiectum, vt aſcenſus & deſcenſus. diuerſa vero nomine finitione & ſubiecto ſeparantur, vt homo atque lapis. ergo cum ſint tot genera nominum quibus vtimur ad exprimenda ſenſa animorum Ariſtoteles in præſentia tria tantum nominum genera explanat. reliqua miſſa facit. Ratio vero cur hæc nomina exponat reddita eſt à nobis paulo ſuperius. at vero cur cætera prætermiſſerit ea cauſa eſt quia reliquarum vocum nullus vſus eſt nobis ad intelligenda prædicamenta Ariſtotelis. Deinde vero quia tametſi ea intelligere aliquod eſſet operepræcium ſatis erat vniuoca & æquiuoca explicuiſſe vt cætera intelligeremus. Plane enim conſtat ſub his duobus eſſe poteſtate atque virtute, cætera. nam cum æquiuocum & multiuocum ſint oppoſita æquiuocis explanatis multiuocorum natura aperte conſtabit. rurſum qui norit vniuocum proculdubio perſpectum habebit diuerſiuocum. Sunt enim contraria aut oppoſita, oppoſitorum vero eadem eſt diſciplina. & quot modis vnum oppoſitorum dicitur, totidem modis dicitur alterum. Poſtremo quia duo illa genera nominum multiuocum & diuerſiuocum potius pertinent ad ornatum quam ad rerũ ſcientiam comparandam. quam ob rem à philoſopho prætermitti debuerunt.

*Partes finitionis.* *Aequiuoca.* *Multiuoca.* *Vniuoca.* *Diuerſiuoca.* *Ratio q̃re Ariſt. tantũ definierit tria nominũ genera.* 1 2 *Oppoſitorũ eadem eſt diſciplina.* 3

Aequiuocatio vero aut multiplicitas nominum de qua nobis in præſentia ſermo eſt inde potiſſimum ortum habuit, vt ſcribit Ariſtoteles in elenchis quòd pauciora nomina nobis ſuppetant quàm res, quam

*Aequiuocationis ortus.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*quam ob rem cogimur vno atque eodem vocabulo interdum res multas exprimere. Verum qua ratione hæc ipſa nominum ambiguitas agnoſci debeat & cognita diſſolui, docet Ariſtoteles longa oratione capite. xiij. lib. primi top. quem locum adire poteſt qui rem iſtam velit adamuſim intelligere.*

*Sed dubium eſt quænam cauſa ſit cur Ariſtoteles æquiuoca priori loco quàm vniuoca poſuerit cum ſint vniuoca & præſtantiora & frequentiora in diſciplinis quàm æquiuoca. Amonius huius rei illam rationem redit, quod æquiuoca ſimpliciora ſunt vniuocis. habẽt enim ſolum nomen commune atque ideo oportuit illa explicari primo loco, ſed eius ſententia hac parte mihi non probatur, tum quia non eſt cur æquiuoca vniuocis ſimplicia magis putari debeant, tum etiã quia tametſi hoc verum eſſet: quæ minus ſimplicia ſunt: priorem locum in tractatione habere debuerunt, cum ſint nobis magis acommodata, & noſtris ſenſibus coniuncta magis. Dicendum ergo eſt, huius rei cauſam illam eſſe, quod æquiuoca ſint priora vniuocis, nam vniuerſa prædicamenta hoc eſt decem genera æquiuoca ſunt, ipſum etiam nomen ens. æquiuoce prædicatur de decem generibus Ariſtotele atque porphirio autoribus.*

*Quæſtio. Hamoni⁹ Hamoni⁹ carpitur. Simpliciora ſenſibus cõiũcta magis Vniuerſa prædicamẽta æquiuoca ſũt.*

*Quia vero hoc vocabulum, æquiuocum, multiplex eſt, diſtinctione in præſentia nobis eſt explicandum, vt intelligamus qua ſignificatione accipiatur æquiuocum ab Ariſtotele hoc loco. Ergo æquiuocum aliud eſt à fortuna quòd vulgo à caſu vocant, aliud à conſilio, quod eſt à fortuna æquiuocum multa ſignificat ſine vlla proportione aut ſimilitudine. & habent illa quidem nomen omnino diuerſum. accidit enim vt multa ſignificaret. huiuſmodi eſt nomen aiax quod thelamonium atque oyleum fortuito, & caſu quodam ſignificat. A conſilio æquiuocum dicitur quod habita ratione multa & diuerſa ſignificat, quare illa quæ ſignificat aliqua ratione ſunt eadem. eorum quæ à conſilio proficiſcuntur quædam fiunt à memoria parentum vt cum quis ciceronem appellat filium ſuum, vt nomen aui ſuſcitet. quædam ſumuntur ab ſpe, vt ſi quiſpiam filium quem medicum fore cupit Hippocratem nominet. alia ab analogia,*

*Æquiuocũ multiplex. Æquiuocum à fortuna. Æquiuocum à cõſilio.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſeu proportione, vt qui vocat pedem lecti, verticem montis quod proportione reſpondet pedi animalis, aut vertici humani capitis. Alia ſunt rurſus quæ ſumuntur ab altero tanquàm ab exemplari, vt homo pictus à vero homine, alia ab efficienti vt vrina ſana dicitur & medicina, quæ ſanitatem inducit. Et hoc vocat Ariſt. cap. primo, lib. iiij. de prima philoſophia æquiuocum ab vno ad vnam naturam. ergo cum ſint tam multa & varia genera æquiuocorũ quam multa ſunt à nobis connumerata, Ariſtoteles in præſenti loco vſus eſt exemplo æquiuocorum, quæ ab electione & conſilio proficiſcuntur, eorũ præſertim quorum vnum ab altero fit, tanquàm ab exemplari. Ita enim inquit, vt animal homo & quod pictum eſt. quaſi dicat nomen animal multiplex eſſe qua ratione ſignificat, animal quod eſt homo, id eſt verum hominem, & animal quod pictum eſt. Sumit autem Ariſtoteles argumentum à minori, ac ſi dicat, ſi quæ vix videntur æquiuoca eſſe (ſunt autem huiuſmodi æquiuoca à conſilio quæ ab exemplari ſumũtur) proculdubio æquiuoca ſunt, multo ſatius reliqua æquiuoca erunt.

*Sumit argumentũ à minori.*

Exiſtit etiam hoc loco quæſtio, quam explicare eſt operepreciũ priuſquàm ſententiam Ariſtotelis de æquiuocis & vniuocis aperiamus, vtrum definitio æquiuocorum & vniuocorum rebus cõueniat an potius nominibus? In hac quæſtione ſcinditur vulgus ſcriptorum ſtudia in contraria, dum contendunt alij finitionem rebus acommodare alij nominibus. Sententia vero illorum qui nominibus tribui putant vtranque finitionem ferenda non eſt. Cum enim duobus modis quidpiam poſsit eſſe æquiuocum aut vt nomen, quod neoterici vocant, æquiuocum æquiuocans aut vt rès, quæ æquiuoca æquiuocata paſsim dicuntur, vtraque deſcriptio rebus quæ per nomen multiplex ſignificantur acommodatur, vocibus vero nullo modo. Nam ſi æquiuoca ſunt quorum nomẽ eſt commune: cùm pluribus nominibus nullum inſit commune nomen primæ notionis aut impoſitionis, de quo in prædicamentis ſermo eſt, proculdubio ipſa nomina nulla ratione ſignificabuntur ea definitione qua Ariſtoteles æquiuoca aut vniuoca complexus eſt. Exiſtimandum eſt ergo vtranque finitionem rebus accom

*Vtrũ æquiuocorũ definitio rebus an nominibus accommodetur.*

*Duplex æquiuocum.*

*accommodari non nominibus. & quoniam vna tantum res niſi cum altera conferatur æquiuoca cenſeri non poteſt, neque vniuoca vtraque definitio numero multitudinis conſtat. Sed dicet aliquis, quo pacto verum eſſe poteſt quod diximus, ſi Ariſtoteles definiens æquiuoca illo verbo dicuntur, vtitur quod ad nomina refertur non ad ipſas res? præterea, cum apud Ariſtotelem verbum dicitur vſurpatum ſit non dicuntur ita enim habet Ariſtoteles* ὁμώνυμα λέγεται *nõ autẽ* λέγοντε, *diluitur obiectio, primum quia apud græcos numerus ſingularis pro numero multitudinis vſurpatur. tunc maxime cum nomina neutra verbis tertiæ perſonæ iunguntur, quod in præſentia cõtingit. Deinde quia verbum dicitur aut dicuntur in vtraque finitione ad hominum ſentẽtiam refertur nõ exprimit affectum aliquem nominis, ac ſi diceret Ariſtoteles, illa appellãtur æquiuoca &c. quibus verbis ſignificat vti ſe antiquorum dialecticorum finitionibus.*

*Definitio æquiuocorum numero conſtat multitudinis*

*Obiectio.*

1

2

*Singulari vtũtur græci pro plurali.*

*His rudi minerua explanatis, plane conſtat quo pacto intelligenda ſit definitio æquiuocorum, illa videlicet, æquiuoca dicuntur quorũ ſolum nomen commune eſt & ſecundum nomen ſuſtantiæ ratio diuerſa. Illa enim ſic explicatur, æquiuoca appellantur res plures, quibus eſt commune ſolum nomen, & ſecundum quod per illud nomen ſignificantur habent diuerſam rationem ſubſtantiæ. Hæc definitio æquiuocorum (vt apparet) duabus partibus conſtat, vna aſſerente, nempe æquiuoca dicuntur quorum ſolum nomen eſt commune. altera negante, illa ſcilicet ſecundum illud nomen ſubſtantiæ ratio diuerſa. Cum autem vocabulum illud, ſolum, duobus modis accipiatur, nã ſolum eſt, quod vnicum eſt, vt cũ ſolum ſolem dicimus, lunam ſolam, id eſt vnicum ſolem & vnicam lunam. Eſt etiam ſolum quod coniugato caret & compari. vt cum quis dicit ſe ſolum calamum habere, non ſignificat carere veſte aut libris ſed theca calamaria aut papyro, in præſentia ſolum appellat Ariſtoteles quod non habet cõiugatum, hoc eſt definitionem, nam nomen & definitio coniugata ſunt.*

*Explanatio finitionis æquiuocorum.*

*Solum dupliciter dicitur.*

*Deinde nomen commune quatuor potiſſimum modis dicitur. Primum quod à multis poſſidetur citra diuiſionem, vt famulus in collegio. Deinde quod diuiſum à pluribus capitur, qua ſignificatione prã-*

*Cõmune nomẽ quadrupliciter dicit.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

dium commune dicitur, vnde ſinguli conuiuæ ſuam partem capiunt. Tertio quod nullius eſt ſed primo ocupanti cedit vt locus in foro. poſtremo quod ex æquo multis conuenit. vt vox præceptoris, hæc enim non vt cœna minus pluribus ſufficit, ſed vt ſol vniuerſis idem lucis caloriſque largitur, vt Quintilianus inquit, cap. ij. lib. primo oratoriarum inſti. Cum in hac deſcriptione Ariſtoteles inquit quorum nomen cõmune eſt, cõmune quarto modo vſurpatur. nã ſine diſcrimine vllo nomen æquiuocum rebus omnibus cõuenit quas ſignificat.

*Vox præceptoris.* *Quintilianus.*

Verum aduerſus iſtam definitionem æquiuocorum primum ſic argumentor illa continet aliquid ſuperuacaneum, ergo non eſt vera definitio conſequentia legitima eſt, & antecedens probo nam illud redundat. ſecundum illud nomen.

*Cõtra æquiuocorum definitionẽ argumentum primum.*

Deinde nulla ratio eſt cur Ariſtoteles non dixerit, ſecundum illud nomen ſubſtantiæ definitio diuerſa. oportet enim planam atque apertam eſſe definitionem. Atqui definitio ſubſtantiæ facilius intelligitur quam ſubſtantiæ ratio, hæc argumenta facile diluuntur. dicendum enim eſt quod cum omnium rerum ſuppetere nõ poſsit definitio (arduum eſt enim veras rerum differẽtias agnoſcere) & ipſum ens quod eſt æquiuocũ definitionẽ non habet, vt ſimul definitionẽ & deſcriptionẽ cõplecteretur, dixit ſubſtantia ratio diuerſa. ipſa enim rei definitio. v. deſcriptio. ratio rei dicitur quia illã reddimus roganti de re. vt cur homo ſit riſibile quærẽti dicimus, quia eſt animal rationale. Ne tamen ambiguitate torqueremur nõ contetus eſt rationẽ dixiſſe ſed adiecit ſubſtantiæ. ratio enim præter definitionem & deſcriptionem, cõputationẽ quoq; ſignificat, & diſcurſum noſtri animi, atq; inſuper alia id genus. Dixit præterea ſecundum illud nomen, nam cum æquiuoca poſsint fieri vniuoca ſecundum aliud nomen nihil prohibet habere eandem finitionem. Habent tamen diuerſam qua ratione æquiuoco nomine ſignificatur. Aiaces enim quatenus homines ſunt vniuoca ſunt, quatenus vero iſto nomine aiax ſignificãtur ſunt æquiuoca variaq; habent deſcriptionẽ. nã Telamonius ex Salamine fuit, filius Telamonij qui cum Hectore ſingulari certamine cõgreſſus eſt. Oilæus vero ex locride filius Oilæi pedib' celer, & ſagitarius inſignis.

*Argumẽtum. ij.* *Solutio.* *Rationis ſignificata.*

Arrepta

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Arrepta ex his quæ diximus ocaſione vertitur in dubium. vtrum omnia nomina æquiuoca poſsint eſſe vniuoca, & contraria ratione. vt Gelius refert, capit. xiij. lib. xi. circa hanc quæſtionem vetus fuit controuerſia dicente Chryſippo non ſolum vniuoca poſſe fieri æquiuoca sed re vera omne verbum ambiguum eſſe natura ſua. huius rei illa ratio eſt eodem autore, quia ex eodem verbo duo vel plura accipi pi poſſunt. Diodorus vero crono vt eſt apud eundem autorem nullum verbum putat eſſe ambiguum. Nos vero ita cenſemus, fieri poſſe vt quodlibet verbum multiplex, ſimplex atque vniuocum fiat. Poteſt enim in oratione pro vna tantum re vſurpari. Hoc vero exemplis probare non eſt difficile. Huc expectat quod Ariſtoteles eodem nomine vtitur cum exemplum ſuppeditat æquiuocorum & vniuocorum: nam animal æquiuoce inquit dicitur de homine viuente & picto. vniuoce vero de homine atque bruto.* Vtrū æquiuoca poſſint eſſe vniuoca. Gelius. Chryſippus. Diodorus Propria ſentētia.

*Deinde aduerſus eandem definitionem ſic argumentor, verba etiam ſunt æquiuoca quemadmodum nomen ergo male inquit Ariſtoteles æquiuoca eſſe quorum ſolum nomen eſt commune, cōſequentia manifeſta eſt, & antecedēs aperte conſtat, nam vt exēplo rem doceam verbū fero dicere & portare ſignificat. Ratio diſſoluitur ſi dicamus iſtud vocabulū nomen Ariſtotelem duobus modis vſurpare ſolere, aut enim verbo opponitur, aut pro quacūq; voce ſignificāte accipitur. Qua intelligentia in capite de verbo nomine vſus eſt Ariſtoteles cū inquit: ipſa ergo ſecūdū ſe dicta verba nomina ſunt. ergo cū in definitione æquiuorū nomē ponitur, quācunq; vocē ſignificat vt vno vocabulo omnia illa in quibus exiſtit ambiguitas aut æquiuocatio Ariſtoteles complectitur. Multiplicitas vero nō ſolum in verbis ineſt, atque etiam in nominibus ſignificātibus ſubſtātiam, ſed in accidētibus quoq; vt longa oratione docet Ariſtoteles. 1. topicorū. cap. xiij. acutum enim æquiuoce dicitur de ſapore voce atq; ferro, præterea graue: de voce & magnitudine atq; animi moribus. quā obrē cum Ariſtoteles inquit æquiuoca habere diuerſam rationē ſubſtātiæ, ſubſtātiam accipit pro eſſentia. lib. v. de prima philoſophia, quo intellectu accidētibus quoque ineſt ſubſtantiæ ratio. ſyncathegoremata vero tametſi* Argumētum. Dilutiu. Vocabulū nomen dupliciter capitur ab Ariſt. Multiplicitas verbo & ſignificāti nomini ſubſtātiā & accidēti ineſt.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

æquiuoce ſignificent, nullo pacto æquiuoca cēſenda ſunt, vel ob eam cauſam quod nulla ratio hijs adſit, neq; cuius piam rei cognitionē noſtris mētibus ingertā. Si quærat aliquis vtrum in mēte poſsit exiſtere æquiuocatio dicemus nullo pacto in animo exiſtere, cuius rei ratio illa eſt, vt ſimplicius ſcribit, quia ambiguitas ex rerum multitudine ortum habet, quæ cum multæ ſuppetant vna atque eadem voce ſignificantur. Sed in animo nullæ ſunt ambages, ſed explicata omnia, & ſingularum rerum ſua atque propria cognitio. ergo in animo nulla exiſtit æquiuocatio.

*Vtrum in mēte poſſit eſſe æquiuocatio. Simplicius.*

Animaduertendum tamen eſt quod licet hæc æquiuocorum definitio rebus accommodetur vt diximus ad huius ſimilitudinem fingere nullum eſt negocium quandam finitionem, qua vocem multiplicē ſignificemus. ea eſt, æquiuocum nomen eſt pluribus rebus commune quæ quatenus per illud nomen ſignificantur diuerſam habent definitionem. huiuſmodi eſt nomen canis quod piſcem ſydus & domeſticum canem ſignificat.

*Vocis multiplicis finitio.*

Vniuoca verò dicuntur, quorum nomen cōmune eſt, & ſecundum nomen eadem ſubſtantiæ ratio: vt animal, homo atque bos: communi enim nomine, horum vtrunque animal nūcupatur, & eſt ratio ſubſtātiæ eadem. Si quis enim aſsignet vtriuſque rationē, quid vtrunq; ſit quo ſint animalia, eādem aſsignabit rationem.

Ex definitione æquiuocorum ſi ad amuſim intelligatur facile conſtare poſsit qua ratione explicāda ſit vniuocorum definitio. Quæ res in cauſa fuit vt de æquiuocis longiorem fortaſſe quam par erat orationem haberemus. Vniuoca igitur dicūtur quorum nomen eſt commune & ſecundum quod per illud nomen ſignificantur eandem habēt vel definitionem vel deſcriptionē eſſentiæ. v. g. homo atque brutum, vniuoca ſunt qua ratione ſignificantur iſto nomine animal. Habent enim vt conſtat. idem nomen & præterea definitionē eādem, nam vtrunque ſubſtantia eſt animata ſenſu predita. Hæc de vniuocis dixiſſe ſit ſatis cætera petenda ſunt ex æquiuocorū explanatione.

*Vniuoca.*

Denominatiua verò dicuntur, quæcunque ab aliquo ſolo differentia caſu ſecundùm nomen, habent appellationem, vt à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Reliquum eſt iam ut poſtremo loco de denominatiuis diſſeramus. Hæc ut minori negocio explicentur: conſiderãdum eſt, Ariſtotelem ea potiſſimũ cauſa poſtremo loco de denominatiuis diſputare, quod eorum explanatio impeditior, & cognitio obſcurior ſit. Nam cum vniuoca nomine & ratione conueniunt, æquiuoca nomine, denominatiua neque nomine neque ratione omnino conueniunt, quod tametſi verum ſit nemo quidem putare debet quæuis nomina dici atque eſſe denominatiua.* Denominatiua. Cur poſtremo loco explicet.

*Sunt enim illorum quædam leges quibus parere debent quæ denominatiua cenſenda ſunt. illæ vero potiſſimum ſunt tres quas porphirius commentarijs in iſtum locum recenſet. Prima eſt ut ſit res cuius participatio fiat. altera ut ſit nominis communio, tertia ut ad ſit differentia caſus. id eſt diſcrimen ſecundũ finalem ſyllabam. Quare fortis & fortitudo denominatiua ſunt, ſubeunt enim tres illas leges. in primis, res eſt, id eſt fortitudo, cuius participatione fortis quiſpiam dicitur. Deinde eſt etiam nominis communio, nam fortis & fortitudo eundem habent vocabuli ortum. poſtremo eſt in his differẽtia caſus. alio enim modo fortis deſinit quàm fortitudo, nam per caſum nominis exitus & deſinentia ſignificatur non autem accidẽs nominis ut quibusdam viſum eſt. Hinc ſequitur quæ caſu conueniunt licet re differant maxime, nulla ratione denominatiua cenſeri. huiuſmodi ſunt, muſica ars. & muſica mulier. Quicquid enim eorum quæ diximus de fuerit nominatiua nomina putari nõ debent. Quare ſtudium & ſtudioſus non ſunt denominatiua. nam rei participatio non eſt, ſtudium enim labor eſt & diligentia impenſa rei, Studioſus ſignificat virtute prædictum. Præterea ſtudioſus & virtus non ſunt denominatiua quia tametſi re conueniant, non differunt tantum caſu atque exitu nominum, ſed etiã ortu, ſunt enim nomina diuerſa, quare quibus deſit aliquid eorum quæ numerauimus denominatiua ſimpliciter vocanda non ſunt. Neque exiſtimãdum eſt ſimpliciter denominatiue prædicari, ſed quomodolibet aliter ab his dici. ut Ariſtoteles ſcribit in ſermone de qualitate. quam ob rem illa quæ nomæn habent idem differunt re ut ſtudium & ſtudioſus nõ omnino denominatiua* Denominatiuorũ leges. Porphirius. 1 2 3 Caſus. Studium Studioſ⁹



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Denominatiua voce.
Denominatiui ſignificacione.
Denominatiua.

ſed voce tantum denominatiua dicuntur. quæ vero re cōueniunt: diuerſam tamen habent appellationem denominatiua ſignificatione tantum appellantur. quibus inſunt omnia voce & ſignificatione, id eſt ſimpliciter ſunt denominatiua. Quod autē tria illa quæ diximus oporteat ineſſe denominatiuis ſimpliciter, conſtat definitione denominatiuorum quam tradit Ariſtoteles hoc loco. cùm inquit denominatiua dicuntur quæcunque ab aliquo ſolo differentia caſu secūdum nomen ſumunt appellationem vt à fortitudine fortis. à grammatica grammaticus, à iuſtitia iuſtus, ſi ergo definitio vera eſt oportet denominatiuum ab aliquo deduci quod non accidit in his quæ ſunt voce tantum denominatiua. ſecundo oportet capere appellationem ab eo nomine quod non ineſt ſignificatione tantum denominatiuis. poſtremo nomen quod ſumit appellationem, atque illud à quo eam ſumit, oportet vt differant caſu, quare muſica ars. & muſica mulier non dicuntur denominatiue ſed æquiuoce.

Tria ī denominatiuis attenduntur.
Denominans.
Denominatiuū.
Denominatum.
Cōcretū.
Abſtractum.
Denominatiuorū vſus.

In denominatiuis (vt ſuſceptam diſputationem finiamus tria conſpiciuntur, denominans, denominatum, & denominatiuum (vtar enim vulgatis nominibus vt res apertior fiat.) Denominans forma eſt accidentaria aut formæ nomen vnde ſumitur appellatio. vt candor, iuſtitia, fortitudo. Denominatiuum eſt nomen ſecundum quod fit appellatio, vt albus, iuſtus, fortis. Denominatum vero eſt ſubiectum in quo forma exiſtit vt homo, qui candore candidus dicitur, iuſtitia, iuſtus, fortitudine, fortis. Quæ denominatiua vocat Ariſto. alij concreta vocāt, ſicut etiam appellat abſtractum formam illam a qua ſumitur appellatio. Denominatiua aut concreta ea cauſa inuē ta ſunt, vt apte commodéque denominatio ſumi poſſit, nam abſtractum aut forma per ſe non tribuit appellationem. iuſtitia enim quæ exiſtit in Platone. v.g. Platonē nominat & facit vt appelletur Plato, non iuſtitia quidem, ſed iuſtus.

## ¶ Argumentum ſecundi ante prædicamenti.

EXplanatis tribus ſuperioribus definitionibus tradit Ariſto. diuiſiones duas quarum prima & hæc eſt.

Cap.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

## ¶ Caput ſecundum.

EOrum quæ dicuntur, alia quidem ſecundùm complexionem dicuntur, alia verò ſine cõplexione. Et ea quæ ſecũdùm complexionem dicuntur ſunt, vt homo currit, homo vincit. Ea verò quæ ſine cõplexione dicuntur ſunt, vt homo, bos, currit, vincit.

Dubium
Solutio.

*SI quærat aliquis cur Ariſt. diuiſionem complexorum atque incõplexorum tradat in præſentia, ea illi ratio reddenda eſt factum fuiſſe ab Ariſtotele vt intelligeremus quod ille initio prædicamentorum ſcribit, incomplexa tãtum collocari in prædicamẽtis, cum inquit eorum quæ ſecũdum nullam complexionem dicuntur. ſingulum aut significat ſubſtãtiam. &c. & quia complexum & incõplexum ſunt oppoſita, vt melius conſtare poſsit incomplexorum natura complexa quoque expoſuit. altera ratio eſt vt intelligamus quæ complexa ſint quæ incomplexa quorũ facit mentionem in categoriis præſertim cũ ait. eorum quæ ſecũdum nullam cõplexionem dicuntur. &c. Et hæc ſane potiſsima ratio eſt. ſecundam diuiſionem attulit vt explanaret iſtas voces eſſe in ſubiecto. nõ eſſe in ſubiecto, dici de ſubiecto, nõ dici de ſubiecto. quarũ ſæpe numero ĩ prædicamẽtis mẽtionẽ facit, præſertim ĩ capite de ſubſtãtia cũ primã ſubſtãtiam, inquit, neq; in ſubiecto eſſe neq; dici de ſubiecto & ſecũdã ſubſtãtiã de ſubiecto inquit dici.*

Dubium
Ratio dubitandi.

*Sed dubium eſt quid cauſæ ſit cur complexa priori loco poſita ſint quam incomplexa ab Ariſtotele. dubitandi ratio eſt quod ſimplicia priora ſunt cõpoſitis, ſiquidem ex ſimplicibus efficiuntur. Hæc enim cauſa eſt, vt diximus, cur cognitio quinque vocũ & præterea decem prædicamẽtorũ enũtiationẽ antecedat. Quæſtio facile ſoluitur ſi intelligamus cõpoſita eſſe nobis magis obuia & expoſita, atq; etiã magis familiaria, quã ſimplicia, ex quibus efficiũtur. eſt autẽ neceſſariũ vt ea primũ tradãtur quæ facilius cognoſci poſſunt atq; inde incipiamus vnde facilius diſcere poſsimus. maxime vero difficile eſt ſimplicia & partes rerũ agnoſcere. nemini enim dubiũ, eſt multos ſcire cõponere. qui prorſus ignorãt quo pacto cõpoſitio illa in partes quibus primũ cõſtat diſſoluẽda ſit. aut quo pacto cõpoſitio effecta ſit. ergo nõ ĩmerito neq; ſine ratione princeps locus ab Ariſt. cõplexis cõceſſus eſt.*

Solutio dubii.
Ordo doctrinæ.



TECA DE LA PROVINCIA CORDOBA

(c) 2007 Ministerio de Cultura

Huiuſmodi vero priores diuiſionis partis facile explicari poſſunt modo illud meminerimus. verbum illud dicũtur, quo Ariſtoteles vtitur referri poſſe ad voces, res, atque animorum concepta. tametſi maxime ad voces referatur. dicuntur enim res quia ſignificant, cõceptus quia enunciantur. Voces vero quia proferũtur atque ſignificãt. ergo illa vox ſimplex eſt, (Ariſtoteles enim illam non definit ſed quia eam explicare difficile nõ eſt, ſatis eſſe putauit exẽplo rem docuiſſe.) quæ vnam atque illam ſimplicem rem ſignificat. vt homo. equus. compoſita vero quæ compoſitum aliquod. ne tamen vlla de hac re cõtrouerſia ſit oportet meminiſſe quod in præſentia ſimplicitas aut compoſitio ex vocum compoſitione aut ſimplicitate exiſtimanda nõ eſt neque ſumenda. ſed tãtum ex re quæ ſignificatur. quæ enim vox ſimplicem, id eſt vnam rem dicit, ſimplex cenſenda eſt. quæ compoſitam compoſita. Ratio eſt quia ſi de vocibus & quãtitate ſyllabarum ageremus, ſumeremus compoſitionem ex vocum quantitate, modo cum agamus de vocibus rem ſignificantibus oportet cõplexionem aut ſimplicitatem, ex rebus metiri. Quare incompoſitæ voces ſunt neapolis, piratica nauis, & pagus martius quarum ſimplicitas præſtantius dignoſcitur ex græco quam ex latino ſermone. nam latinus ſermo non habet vnam in cõiunctim vocem qua exprimat quod greca ſignificant vno nomine.

*Dicũtur, ad quæ poßit referri.*

*Cur nõ ſiniat complexa neque incõplexa.*

*Simplicitas & cõpoſitio vnde ſit hoc loco ſumẽda.*

*Incõpoſitæ voces.*

Arrepta hinc ocaſione dialectici tria genera complexorum atque incomplexorum finxerunt, voce tãtum ſignificatione tantum voce & ſignificatione ſimul. Voce tantum complexa vocant, quæ vocem compoſitam habent, ſimplicem cõceptum. vt hircoceruus. Significatione tantum complexa, quæ voce vnum ſunt, ſignificatione multa. vt ſi litera. a. perinde ſignificet atque oratio aliqua. Voce & ſignificatione complexa vt homo currit, homo diſputat.

*De cõplexis cõmunis ſentẽtia.*

Exiſtit hoc loco quæſtio, vtrum verba adiectiua complexa ſint an incomplexa (vocant verba adiectiua quæ ſignificant actionem vel paſsionem vt curro diſputo). Quod incomplexa ſint, inſinuat Ariſtoteles, qui adducens exemplum eorum quæ ſine vlla complexione dicuntur, inquit, vt currit vincit. verum quod complexa ſint communi

*Vtrũ verbv adiectiua complexa ſint*

*Verba adiectiua.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ſententia dialecticorum conſtat. Hanc quæſtionem exploſa multorum de hac re opinione nos facile diluimus, aſſerentes omnia verba adiectiua complexa eſſe. Nam tametſi plæraque illorum minime cõſtare videãtur pluribus partibus, proculdubio modus ſignificãdi ipſorum complexus eſt. omnia enim verba adiectiua primæ & ſecundæ perſonæ, præterea etiam verba quæ pertinent ad naturã in tertia perſona, vt tonat, pluit, planam & apertam habent cõplexionem. ſiquidem ſignificant actionem vel paſſionem cum ſubſtantia, aut in ipſa ſubſtantia. Nam qui dicit curro, aut curris ſubſtantiam deſignat cui adſit curſus. Rurſum qui dicit ſerenat, & grãdinat, actionem concedit deo. Hæc ergo verba citra controuerſiam complexa ſunt. Verba autem tertiæ perſonæ quanquàm prolatione ſimplicia atque inconiuncta ſint intellectu ſunt compoſita. Nam qui currit. dicit. aut vincit, actionem verbi de aliquo prædicat. multo tamen latentior complexionis intellectus in tertia perſona eſt quàm vel in prima vel in ſecunda atque hæc ipſa cauſa eſt vt Amonius ſcribit, cur Ariſtoteles inter incomplexa retulerit verba actionem vel paſſionem ſignificãtia in tertia perſona. tametſi vt mihi quidem videtur Ariſtoteles hoc loco verbis tertiæ perſonæ pro nominibus vſus eſt, quo ſenſu incomplexa putãda ſunt. nemo enim dubitat verba ſecũdum ſe dicta, hoc eſt cum nõ ſignificant compoſitionem nomina eſſe.*

*Solutio.*

*Verba adiectiua complexa ſunt.*

*Amoni⁹.*

*Propria ſentẽtia.*

*Verba ſecundũ ſe dicta nomina ſũt.*

Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, in ſubiecto verò nullo ſunt, vt homo de ſubiecto quidẽ dicitur quodam homine, in ſubiecto verò nullo eſt. Alia in ſubiecto quidem ſunt, de ſubiecto autem nullo dicũtur. In ſubiecto autem eſſe dico, quòd cùm in aliquo ſit, non ſicut quædam pars, impoſsibile eſt eſſe ſine eo, in quo eſt: vt quædam grammatica in ſubiecto quidem eſt, in anima: de ſubiecto verò nullo dicitur. Et hoc album in ſubiecto quidem eſt corpore: omnis enim color in corpore eſt, de ſubiecto autem nullo dicitur. Alia verò de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt: vt ſcientia in ſubiecto quidem eſt, in anima: de ſubiecto verò dicitur, vt de grammatica. Alia neque in ſubiecto ſunt, neq; de ſubiecto aliquo dicuntur: vt quidam homo, & quidam equus. Nihil enim talium neque in ſubiecto eſt, neq; de ſubiecto aliquo



(c) 2007 Ministerio de Cultura

dicitur. Simpliciter autem quæ ſunt indiuidua, & numero ſingularia, de nullo ſubiecto dicuntur: in ſubiecto autem nihil prohibet horum aliqua eſſe: quædam enim Grammatica in ſubiecto eſt, at de ſubiecto nullo dicitur.

*Iam tempus eſt vt ad explanationem ſecūdæ diuiſionis vel potius ſubdiuiſionis accedamus. Cum enim primum omnia in duas partes diuiſa ſunt, complexa videlicet & incomplexa, in præſentia incomplexa tantum diuiduntur vt conſtat. In qua ſanè ſubdiuiſione explicanda multo maior difficultas ineſt quàm in ſuperiori diuiſione. Partitur ergo Ariſtoteles omnia incomplexa in quatuor iſta mēbra, de ſubiecto. non de ſubiecto. in ſubiecto non in ſubiecto. iſtorū vero membrorum duas tātum partes definitione explanat. videlicet eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto priorem quidē hoc loco poſteriorem vero proximo capite. duas vero alias partes quæ cū iſtis pugnant tantum adhibitis exemplis explanat. Non eſt enim labor vbi vnum oppoſitorū cognoueris alterum agnoſcere. Si quiſpiam vero Ariſtotelem reprehendat quod in diuiſione eiuſdem rei vſque adeo varius ſit (modo enim quæ ſunt, in duas partes diuidit, complexum & incomplexum modo in quatuor, dici de ſubiecto. non dici de ſubiecto. eſſe in ſubiecto nō eſſe in ſubiecto. poſtremo in decem prædicamēta, cum inquit, eorum quæ ſecūdum nullam cōplexionem dicūtur ſingula aut ſignificāt ſubſtantiam) &c. Facile qui velit eundem poſſit defendere. nihil enim vetat quominus vnum atque idem multis modis diuidatur, modo diuerſa ratione conſideretur. Quoniā vero numerus denarius ex intermedijs numeris efficitur, & numeri quibus cōſtat ſunt denario priores, quia ſunt partes denarij. primū ens diuidit minima diuiſione in partes duas. cōplexum inquàm & incōplexum. deinde quia ex ductu binarij per ſeipſum efficitur quaternarius perſequitur diuiſionē entis in quatuor partes. Poſtremo quia denarius numerus ex interiectis numeris fit cōſtat enim vnitate. binario, ternario, quaternario, qui ſunt numeri intermedij hanc ipſam diuiſionem vltimo loco tractat, neque illam vlterius protrahit.*

*Caput huius diuiſionis.*

*Duas partes explanat.*

*Cur tot modis diuidat q̄ ſunt.*

*Solutio.*

*Denari' numer'.*

*2. ratio.*

*Præterea Ariſtoteles in præſentia multo aliter accipit ea quæ ſunt quàm quo loco ea diuidit in decem prædicamēta, atq; ideo aliter facit diui-*

(c) 2007 Ministerio de Cultura.

*diuiſionẽ. Hoc enim loco vniuerſale & particulare cõparat ſubſtantiæ atq; accidẽti. vniuerſale ſubſtantiæ & accidenti. particulare ſubſtantiæ etiam atque accidẽti. qua ratione ſi diuiſio fiat tãtum quatuor cõiugationes effici poſſunt, videlicet dici de ſubiecto, & nõ eſſe in ſubiecto, quod ſignificat vniuerſalem ſubſtantiam. Dici de ſubiecto & eſſe in ſubiecto, quod ſignificat vniuerſale accidens. Eſſe in ſubiecto & non dici de ſubiecto, quod ſignificat particulare accidẽs. Nec eſſe in ſubiecto neque dici de ſubiecto, quod ſignificat particularem ſubſtantiã. Nam dici de ſubiecto ſignificat vniuerſale. Non dici de ſubiecto ſignificat particulare. Eſſe in ſubiecto ſignificat accidẽs. Nõ eſſe in ſubiecto ſignificat ſubſtantiam. Hæc autem copulantur atque ex cõplicatione ſex tãtum efficiuntur cõiugationes. Iſtarum duæ ſunt incõſtantes atque inutiles. quatuor ergo reliquæ conſtantes ſunt atq; vtiles. Nam quæ ſunt aut dicũtur de ſubiecto & nõ ſunt in ſubiecto, & ſunt vniuerſales ſubſtãtiæ, aut dicũtur de ſubiecto & ſunt in ſubiecto, & ſunt vniuerſalia accidẽtia, aut non dicuntur de ſubiecto & ſunt in ſubiecto & ſunt particularia accidẽtia, aut neq; dicuntur de ſubiecto neq; ſunt in ſubiecto & ſunt particulares ſubſtãtiæ, & hæ ſunt, vt plane cõſtat, vtiles cõiugationes. Reliquæ ſunt, dici de ſubiecto & nõ dici de ſubiecto. Eſſe in ſubiecto & nõ eſſe in ſubiecto, quæ ſunt prorſus inutiles cõiugationes. Quoniã conſtãt affirmatione & negatione quæ nullo pacto eidẽ ſimul ineſſe poſſunt, quãdo vero eorũ quæ ſunt in decẽ prædicamẽta fit diuiſio ſingula ſecũdum propriã naturã conſiderãtur. non cõparatur vnũ cum altero. Quam ob rem cũ ſub ente decẽ tãtum ſint naturæ atq; formæ diuerſæ nullius rei participes præterꝙ entis, iure optimo in decẽ partes diuiditur id quod eſt, vt ſuo loco & tẽpore dicemus. Scio Ariſtotelẽ alijs noĩbus apertioribus rẽ explicare potuiſſe, verum hijs maxime vti voluit quia tametſi obſcura illa ſint & multum remota ab vſu multitudinis, aptius accõmodantur explicandæ naturæ earum rerum de quibus ſermo eſt.*

*Secunda ratio.*

*Qua ratione cõſerat partes huius diuiſionis.*

*Vniuerſalis ſubſtãtia.*

*Vniuerſale accidẽs*

*Particulare accidens.*

*Particularis ſubſtantia.*

*Entis diuiſio.*

*Cur his vocibus Ariſtote. vſus ſit.*

*Quæret aliquis cur Ariſto. ſignificauerit ſubſtãtiam ea particula, nõ eſſe in ſubiecto & nõ potius iſta ſubiectũ eſſe? cũ ſit ſubſtãtia ſubiectũ & fundamẽtũ rerũ cæterarũ quæ ſunt in natura. Id quidẽ nõ*

*Quæſtio.*

*Subſtantia fundamentũ aliarũ rerum.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

aliunde euenit quàm quòd voluit Ariſtoteles vna atque eadem voce omnem ſubſtantiam comprehendere atque ſignificare quòd ſi iſto vocabulo ſubiectum eſſe, vteretur, proculdubio multas ſubſtantiæ partes prætermitteret. In primis vero diuinam ſubſtantiam. Illa enim nullius accidentis capax eſt. atque ideo ſubiectum vocari nõ poteſt. Cæterum hac oratione non eſſe in ſubiecto, omnis ſubſtantia ſignificatur. etiam ſi illa diuina ſit. altera ratio eſt. vt numeri diuiſionis explerentur. ſi quidem optima diuiſio oppoſitis membris conſtare debet. vt eo pacto omnia complectatur, atque ideo inquit. Eorum quæ ſunt alia eſſe in ſubiecto alia non eſſe. Alia dici de ſubiecto alia non dici. quod ſi diceret eorum quæ ſunt. alia ſubiecta ſunt alia in

*Deus accidentis capax non eſt quare ſubiectũ dici nõ poteſt.*

1 ſubiecto, plæráque, vt conſtat. miſſa faceret. Tertio non tantam ha-
2 beret autoritatem & gratiam diuiſio quantam modo habet cum ex oppoſitis ſit. Poſtremo ſi Ariſtoteles diceret aliud ſubiectum eſt, aliud in ſubiecto, membra per quæ fit diuiſio permiſcereatur. Nam
3 cum duplex ſit ſubiectum vnum ſubſiſtendi. quod Ariſtoteles vocat
4 ſubiectum in quo. alterum prædicandi de quo dicitur aliud, ſi diceremus ſubiectũ, vel ambigeremus quodnam eſſet illud ſubiectum, vel confunderentur membra. Nam licet accidens non ſit ſubiectum in quo, eſt quidem ſubiectum de quo, quia vnum accidens recte de altero dicitur, quare eſſe ſubiectum non differret ab eo quod eſt in ſubiecto. quod eſt maximum vitium diuiſionis. oportuit ergo vt hac ratione efficeretur diuiſio.

*Diuiſionis optimæ mod'*

*Subiectũ duplex eſt.*

Eſt tamen animaduertendum quòd vbi Ariſtoteles cupit ſignificare modũ ſubſiſtẽdi, vtitur verbo eſt, dicẽs. in nullo ſubiecto eſt. vbi vero modũ prædicandi vtitur verbo dicuntur. Ita enim inquit. Quædam ſunt quæ dicuntur, quædam quæ non dicũtur. Hinc etiam aperte colligitur errare qui dicunt non comprehendi propoſita diuiſione partes ſubſtantiæ, materiam videlicet & formam. Nihil eſt enim quod non complectantur duo contradictoria, dici de ſubiecto & nõ dici de ſubiecto, eſſe in ſubiecto & non eſſe in ſubiecto.

*Vſus verbi eſt, apud Ariſto.*

*Vſus verbi dicuntur.*

*Carpit.*

Si roget aliquis cur poſt vniuerſalem ſubſtãtiam, quæ præſtantiſſima eſt, & primum locum natura tenet Ariſt. collocauerit particulare

*Dubiũ.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

culare accidens: ignobilius quàm particularis ſubſtantia, atque accidẽs vniuerſale, facile rationem poſsit accipere. Huius enim rei cauſa ea eſt. quia particulare accidẽs maxime oppoſitum eſt vniuerſali ſubſtantiæ, atque ideo ad eius cognitionem cõducit. Nam ſubſtantia vniuerſalis de ſubiecto quidem dicitur, in ſubiecto vero nullo eſt. accidens vero particulare: cum in ſubiecto ſit, de ſubiecto nullo dicitur. Deinde vniuerſale accidens peculiaribus ſubſtantijs antepoſuit vt rationem haberet vniuerſalium, quæ quatenus ſunt vniuerſalia præſtãtiora ſunt particularibus. Poſtremò tãdem loco, indiuiduam ſubſtantiam refert, quia neque de aliquo prædicatur, neque ad comparãdam alterius rei cognitionem conducit. De ordine partiũ diuiſionis Solutio.

Ex quatuor partibus eorum quæ ſunt: Ariſto. definit quod eſt in ſubiecto, cuius cognitio admodum difficilis eſt atq; obſcura. Definit autem illud hoc modo. in ſubiecto vero dico, quod cum in aliquo ſit non ſicut quædam pars, impoſsibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt. Ex qua definitione colligimus tria eſſe neceſſaria vt aliquid dicatur eſſe in ſubiecto. Vnum eſt, vt ſit in altero, vt candor in corpore, ſcientia in anima. Alterum vt non ſit in alio ſicut eius pars. Poſtremo, vt non poſsit ſubſiſtere ſine eo in quo eſt. Hæc autem definitio eius quod eſt in ſubiecto eadem prorſus eſt cum definitione accidentis, nam quod eſt in ſubiecto accidens eſt. & quodlibet accidens eſt in ſubiecto. In hac definitione tametſi genus & differentia non ſint illorum vice alia ponuntur. Nam pro genere ponitur eſſe in aliquo, eſt enim amplius atque communius quam id quod eſt in ſubiecto. Siquidem vndecim modis autore Hamonio contingit vnum eſſe in alio. quanquàm Porphirius & Dexipus nouem tantum modos referant. Ariſtoteles vero octo, lib. iiij. de phiſica obſcultatione cuius ſentẽtiã hac parte Boetius amplexus eſt. Primo modo vnum eſt in alio vt in toto. vt manus in corpore ſecundo modo vt totum in partibus tertio vt ſpecies in genere. nam homo dicitur eſſe in animali. iiij. genus in ſpecie vt animal in homine & brutis animantibus. v. vt in tempore. vi. vt in loco, ſeptimo, in vaſe. vt vinum in dolio. viij. vt forma in materia. ix. ſubditi in principe, ſalus enim ciuium in principe ſita eſſe dici- Eſſe ĩ ſubiecto. Tria neceſſaria ineſſe debent illi quid eſt ĩ ſubiecto. Hamoni⁹ Vnũ eſſe in alio vndecim modis dicit. Dexipus. Boetius.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

tur, decimo, vt in cauſa finali, ita enim dicimus militum animos eſſe in rapina, & ille aiebat animum eſſe in patinis, vltimo tanquàm in ſubiecto. quo ſenſu accidens eſt in alio. Ariſto. vero loco citato tres modos prætermiſſit videlicet, eſſe in tẽpore, eſſe in loco, eſſe in vaſe, optima ſanè ratione, cum enim eo loco nondum de tempore diſſeruiſſet, non potuit meminiſſe eius quod eſt in tempore. Coniungit autem iſtos duos modos, in loco eſſe, atque in vaſe, eo loco, quia nondum eò peruenerat vbi aſsignari diſcrimen recte poſſet. Deinde quod eſt in alio tanquàm in materia, confundit Ariſtoteles cum eo. quod eſt in alio tanquàm in ſubiecto. Quanquàm duo iſta maxime differãt, nam quod eſt in ſubiecto, in alio eſt cõſtituto ex materia & forma. Id enim ſubiectum eſt. forma vero materiæ tantum aduenit nõ compoſitio. Deinde quod eſt in ſubiecto accipit ſubſtãtiam, atque exiſtit ratione ſubiecti ſed forma dat actum & perfectionem materiæ. iij. quod eſt in ſubiecto non complet naturam & rationem ſubiecti neque ſi auferatur aufertur ſubiectum conſtat ex finitione accidentis, at forma complet abſoluitque materiam ipſam atque compoſitum, poſtremo ſi forma eſſet in alio vt in ſubiecto, aut eſſet in materia prima, aut in corpore cuius forma eſt, aut in corpore ex quo mutatur, ſed nullo iſtorum modorum exiſtit in ſubiecto, ergo non eſt in ſubiecto conſequentia nota eſt & maior vera, minor probatur. Primum non eſt in materia prima. quia illa nõ adeſt anteaquam adſit forma, & licet adeſſet non eſt ſubiectum nam ſubiectum oportet eſſe primum actu, neque in corpore in quo eſt cum ſit eius pars, neque tandem in corpore ex quo mutatur, quoniam dum hæc forma aduenit illud iam eſt corruptum. quare forma non eſt in alio vt in ſubiecto. quod Alexander demonſtrat capite. xvij. lib. i. quæſtionum obijciet aliquis ergo inepte fecit Ariſt. qui quod eſt in alio tanquàm forma cõfundit cum eo quod eſt in alio vt in ſubiecto. Hamonius ait recte feciſſe Ariſtotelem non diſtinguendo iſtos modos ille enim ea debuit diſtinguere quorum ſimilitudo non poterat decipere cum autem hic modus quo exiſtit forma in materia vulgaris non ſit, multi enim ne nouerunt quidem adſit ne iure naturali quidpiam præter id quod cernitur

Cur Ariſtote. tres modos p̄termiſſerit.

Quod eſt in ſubiecto differt ab eo quod eſt ĩ materia.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*nitur, non opus fuit. vt Ariſt. aſsignaret diſcrimē inter hæc ipſa. & torqueret tenerum auditorem perplexa admodum atque difficili diſtinctione. Recte ergo adiectum eſt à nobis in ſuperiore diffinitione pro genere poni eſſe in aliquo, cætera rationem habēt differētiæ. nam illis verbis nō ſicut quædam pars differt quod in alio vt pars aut ſpecies pars. vt innuit Porphirius in capite de & ſpecie. illis autem verbis impoſsibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt excluduntur cæteri modi. poſſunt enim quæ ea ratione ſunt in alio ſine eo eſſe in quo ſunt.*

*Aduerſus ea quæ à nobis dicta ſunt ſic arguo, in hac definitione aliquid redundat aut deeſt ergo illa non eſt vera definitio. conſequentia nota eſt, quia in vera definitione neque debet redundare aliquid neque deeſſe. vel Porphirio authore in capitulo de genere, antecedens autē probo, in primis vero quòd in ea aliquid redūdet, quia non ſolum comprehendit accidentia ſed etiam corpora de prædicamento ſubſtantiæ, nam corpus quatenus corpus eſt. in loco eſt. cuius pars non eſt & ſine loco exiſtere nullo pacto poteſt, quare eſt in alio vt in ſubiecto.* Argumē tum.

*Ad hoc reſpondendum eſt corpus non exiſtere in loco vt in ſubiecto, nam quod eſt in alio tanquam in ſubiecto ſic eſt in eo ſubiecto vt ſine interitu ab eo ſubiecto in quo ſemel ſibi ineſſe contigit non poſsit dimoueri. non poteſt enim accidēs mutare ſubiectum at quod eſt in loco & in tempore licet omnino ſeparari non poſsit à loco & tempore, poteſt quidem ab vno loco tranſferri in alium, atque etiam ab vno tempore in aliud, ſine vlla ipſius rei iactura aut iniuria. Deinde vt exiſtat quod eſt in ſubiecto & ſubſtantiam habeat ſubiecto opus eſt, vt autem corpus ſit, id eſt ſubſtantiam habeat, neque corpore opus eſt neque loco. nam tempus & locus conſequuntur corpora non antecedunt tertio non omne corpus in loco eſt. nam primum mobile omnino & per ſe non eſt in loco niſi ſecundum partes. Siquidem locus terminus eſt ambientis. at extra cœlum nihil eſt libro primo de cœlo.* Solutio. Tēpus & locus conſequūtur corpora. Locus.

*Deinde ſic argumentor quod eſt in alio tanquam totum in ſuis partibus comprehenditur iſta definitione & nō eſt in ſubiecto, ergo definitio eius quod eſt in ſubiecto nō omnino vera atq; exacta eſt. antecedēs probo nā totū eſt in alio, non* Argumē tum. 2.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Solutio. Totū eſt in ſuis partibus. ſicut pars, & non poteſt ab eo in quo eſt, id eſt à ſuis partibus ſeparari. hæc obiectio facile diluitur. nam quod eſt in ſubiectio eſt in alio totum autem non eſt in alio ſed in alijs nempe in ſuis partibus. ita enim Porphirius inquit in capite de ſpecie pars quidē totius pars eſt. totum vero non eſt alterius. ſed in alijs, hoc eſt in ſuis partibus.

Argumētum. 3. In quo diſputatur, vtrū accidētia compleāt ſenſibile. Simplicius. Tertio ſic argumentor accidentia ſunt in ſubiecto ſicut pars in toto, aut accidens à ſubiecto ſeparatur, ergo non diſtinguntur ab illis, quæ alio modo exiſtunt in aliquo, antecedens probo nam figura, magnitudo, & color complēt ſenſibile ſubiectum in quo ſunt, ergo eius partes putari debent. Deinde calor in igni, frigus in aqua, candor in niue, ita inſunt ſubiecto vt illud compleant, ergo ſunt partes eius in quo ſunt. Simplicius diluens vtranque obiectionem fatetur nonnulla quæ accidentia videntur eſſe natura ſua, quibuſdam non eſſe accidētia, huiuſmodi ſunt ea quæ diximus, ſunt enim paſsiones aut differētiæ rerum illarum in quibus inſunt, differentia vero ſubiectum complet. vtrum autem hæc quæ diximus paſsiones elementorum ſint aut conſtituentes differētiæ Ariſtoteles explicat lib. ij. de ortu & interitu. Figura vero & magnitudo & color reuera ſunt in ſubiecto & non tāquàm partes. Adueniūt enim enti in actu & rei omnibus numeris abſolutæ, & citra vllam corporis in quo ſunt iacturam ab eo dirimi poſſunt, ſi non re: ſaltem cogitatione. ergo nō ſunt in alio tanquàm eius pars. Rurſum ſic obijcio hæc ipſa definitio non complectitur omnia accidentia ergo non eſt vera atque perfecta definitio. conſequentia nota eſt & probo antecedēs. Hæc enim definitio nō videtur comprehendere accidentia quæ ſeparabilia vocantur, ſed tātum quæ ſunt inſeparabilia. nam accidentia ſeparabilia cum poſsint ſeparari à ſubiecto videntur poſſe eſſe ſine eo in quo ſunt.

Obiectio

Solutio. Ad hanc obiectionē in promptu ratio eſt. non enim dicit Ariſtoteles fieri nō poſſe vt accidens à ſubiecto dirimatur, ſed cōſtare atque exiſtere ſine ſubiecto cui ſemel ineſt, non poſſe. Quod ſane commune eſt omnium accidentium. Ita enim inquit, impoſsibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt.

Cōmune accidētiū

Obiectio Sed videtur hoc falſum eſſe, eſt enim aliquod accidens, quod manere diu poſsit diuulſum ab eo ſubiecto in quo ſemel eſſe contigit. nam odor

pomi

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*pomi. v. g. accidens eſt exiſtens in pomo, ab eo tamen ſeiungi poteſt, & reuera abſtrahitur, cùm ad nares noſtras odor defertur: mutat ergo ſubiectum, atque ex conſequenti poteſt eſſe ſine eo, in quo eſt. Hanc inſtantiam multi, & magni philoſophi conati ſunt diſoluere, licet varia, atque diuerſa ratione. Porphirius enarrans hunc locum, inquit: Iſtam finitionem accidẽtis, qua vſus eſt Ariſtoteles, hoc ſenſu intelligẽdam eſſe: accidẽs quidem nõ poſſe eſſe ſine eo, in quo eſt, nihil tamẽ impedire, quominus ſine eo ſubiecto ſit, in quo erat. Quibus verbis inſinuare videtur, nihil vetare accidẽs ab vno ſubiecto in aliud commigrare: atque ita inquit, ſuaueolentiam pomi, à pomo in aliud ſubiectum transferri. Verùm iſta Porphirij ſententia nullo modo probari poteſt. Primùm quia concedit accidẽtia mutare poſſe ſubiectum, & ab vno in aliud commigrare, quod planè falſum eſt. Quia accidens omnino pendet à ſubiecto, in quo ſemel ineſt, & ex cuius principijs ortum habet. Deinde quia ſi accidens poſſet mutare ſubiectum, & ab vno in aliud transferri nulla ſuſcepta iniuria, fieret, vt accidens aliquando eſſet ſine ſubiecto, aut idem accidens numero eodem momento temporis eſſet in duobus ſubiectis, quorum vtrunque valde abſurdum eſt, & procul ab omni ratione. Quod autem neceſſarium ſit in alterum iſtorum incidere, hinc conſtat. Nam quãdo commigrat accidens, vel in eodem inſtanti temporis eſt in eo ſubiecto, in quo prius fuerat, atque in eo, in quod transfertur, & tunc incidimus in illud abſurdum, quòd vnum accidens eodem temporis momento exiſtat in duobus ſubiectis. Si verò in vno inſtãti in hoc ſubiecto eſt, in alio in illo: cùm inter duo inſtantia neceſſariũ ſit tempus eſſe (duo enim momenta temporis immediata eſſe non poſſunt) oportet illud temporis, quod cadit inter duo momẽta, accidens exiſtere extra ſubiectum. Hæc autem abſurda ſunt, ergo & opinio eius, qui ſentit, accidens migrare poſſe à ſubiecto in ſubiectum. Quare tentandum eſt alia ratione ſoluere propoſitam dubitationem. Hamonius explanãs iſtum locum, inquit: flagrantiam mali, & cæterarum rerum odoriferarũ, per ſe quidem nõ ſeparari à ſubiecto, ſed perferri ad nares. v. g. ſimul cum quadam tenui ſubſtantia, atque eo pacto aerem inficere.*

*Porphirius.*

*Porphirius improbatur*

*Nullũ accidens poteſt migrare ab vno ſubiecto in aliud.*

*Hamoni⁹*

F Odores

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Odores quare ſpiritus vocētur, cū ſint corporei.*

*Odores enim ſpiritus non ea cauſa vocātur, quòd omnino corpore vacent, ſed quòd tenues admodum ſunt. Corpus autem habere, argumēto eſt, quòd illis natiui noſtri ſpiritus nutriuntur: recreantur enim defaſſati optimis odoribus ſuſceptis. Deinde etiam, quia fœtida loca tranſeuntes, nares, & os linteolo obturamus: non vt aerem repellamus, ſed potius ne rei malè olentis ſubſtantia aere craſsior, ad nares penetret. Nam aer purus per tenues ſudarioli rimulas naribus ſe inſinuat. Idem putat dicendum de pomo, cuius rei fidem facit quòd frequenti periculo cernimus, pomum videlicet, poſt aliquantulum tempus rugas contrahere, velut digeſta per halitum ea ſubſtātia, cui odoris ſuauitas inerat. Quòd ſi pendentia in arbore poma, neque odorem perdere neque gracilia fieri videmus, in cauſa eſt ſuccus humoris reparantis ſubſtantiam pomi, quæ vnà cum ipſo odore diſsipata fuerat.*

*Propria ſentētia.*

*Si vero hæc Hamonij ſententia & ratio diſſoluēdi argumētum non placet, dicamus aerem habere facultatem ſuſcipiēdi odores, & fieri actione talem ab odore pomi, qui odorem producit in aere, à quo deinde aliæ partes odore ſimiliter inficiuntur, donec tandem vis illa odorifica tenuis admodum ſit atque imbecilla.*

*Documētum. Particulare nō dicitur de ſubiecto.*

*Eſt hoc loco conſiderandum, quod vbi Ariſtoteles dicit particulare non dici de ſubiecto, eius verba referenda ſunt ad prædicationem ſecundum naturam, nam præter naturam prædicari nihil prohibet. Dicere enim ſolemus hunc hominem eſſe Socratem, illum grāmaticum eſſe Ariſtarcum. quæ vero ſit prædicatio ſecundum naturam & quæ præter naturam dictum à nobis eſt ad calcem commentariorum in quinque voces porphirij.*

## ¶ *Argumentum tertij capitis.*

*CVm ſuperiori capite Ariſtoteles meminiſſet eius quod eſt dici de ſubiecto, neque id explicuiſſet eo loco, in præſentia idipſum declarat. Et notam quandam adfert neceſſariam illam quidem, ad cognoſcendum quæ ſint quæ de ſubiecto dicuntur. Proponit deinde*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*quaſdam ſumptiones, quibus ſeparare poſſimus genera diuerſa ab his, quæ ponuntur ſubalternatim.*

## ¶ Caput tertium.

QVando alterum de altero prædicatur vt de ſubiecto. quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicētur. Vt homo de homine quodam prædicatur, animal verò de homine, ergo & de quodam homine animal prædicabitur: quidam enim homo, & homo eſt, & animal.

*SVnt qui putent Ariſtotelem hoc loco duo præcepta aut formas argumentandi nobis ſuppeditare. Sed, illi mea ſententia, toto errant cœlo. qua enim fronte acturus de decem primis generibus curare debuit, quo pacto argumentari debeamus? Dicēdum ergo eſt Ariſtotelem duas regulas tradere: primam præbet vt intelligamus quid ſit dici de ſubiecto. vſus fuerat in poſteriori diuiſione his duobus, eſſe in ſubiecto, dici de ſubiecto. expoſuit quid ſit eſſe in ſubiecto, nunc exponit alteram partem, dicens. Proprium eſſe eorum quæ de ſubiecto dicūtur, vt quod de prædicato dicitur, dicatur etiam de ſubiecto. Hoc enim tantum illi ineſt quod dicitur de ſubiecto. atque ita inquit quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque dicuntur de prædicato. dicuntur etiam de ſubiecto. Cuius documenti ſenſus (quidquid alij dicant) ille eſt ſi contingat vt quidpiam dicatur de altero, vt de ſubiecto, hoc eſt re ipſa & ſecundum ſubſtantiā. id eſt enim prædicari de ſubiecto, quicquid de prædicato dicitur etiā ſecundum ſubſtantiam de ſubiecto quoque dicitur. Nam quia homo de Socrate dicitur vt de ſubiecto, & animal de homine animal de Socrate dicetur. Adieci ſi alterū de altero ſecundum eſſentiam prædicetur, nam ſi ſecūdum rationem accidētis dicatur, documentum fallit. Neq; opus eſt vt quod de prædicato dicebatur, dicatur de ſubiecto. v. g. homo de agamemnone dicitur, & biſyllabū de homine, nō prædicatur tamē de agamemnone, quia de homine non dicebatur ſecundum eſſentiam. Deinde animal de homine dicitur, & album de animali,*

*Cōſutat.*

*Propria ſentētia.*

*Prædicari de ſubiecto.*

*Inſtātia.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

at non oportet vt album de homine dicatur. quia non dicitur de animali vt de ſubiecto. ſed tanquàm accidens. vnde qui hac ratione argumētaretur homo eſt animal, animal album, ergo homo eſt albus. peccaret fallacia accidentis.

Fallacia accidētis.

Latū & profundū in prædicamētis.

Cum autem in prædicamentis inſit latum & profundum, (profunditas enim eſt à ſupremo genere ad indiuidua. latitudo vero conſideratur ſecundum latera.) Documētum iſtud non tantum verum eſt, in hijs quæ conſiderātur ſecundum profundum ſed etiam ſecundum latum, nam quia animal de homine dicitur, & ſenſibile de animali, ſenſibile de homine prædicatur.

Diſcurſus vltra tres terminos.

Præterea quod hoc præcepto docemur in pluribus quam tribus terminis expectare licet. Hac ratione. Si homo eſt, animal eſt. ſi animal animatum, ſi animatum corpus, ſi corpus ſubſtātia. poſtremo ſi homo, ſubſtantia. cuius formæ arguendi meminit Porphirius in ſermone de ſpecie.

Eſt etiam conſiderandum, quod tametſi Ariſtotelis mens in præſentia non ſit rationem docere argumentandi, duo præcepta colligendi hinc capi poſſunt. Vnum ſecundum rem, quod dicitur à ſophiſtis per propoſitiones de actu exercito, hoc pacto, homo eſt animal. animal corpus ergo homo eſt corpus. Alterum ſecūdum notionem, quod vulgo vocant per propoſitiones de actu ſignato hoc modo, homo prædicatur de Socrate & animal de homine ergo animal de Socrate prædicatur. Reddemus perpetua huiuſmodi præcepta ſi intermedia vniuerſé proferantur hoc modo, Socrates eſt homo & omnis homo eſt ſpecies ergo homo eſt ſpecies. Eadē ratione cōtingit in cæteris. Nam vbi intermedia ſecundum accidens prædicātur ſi addatur vniuerſale ſignum: ſemper falſa erunt.

Duo argumētandi præcepta ſecundum rē, & ſecundū notionem

De primo ad vltimum.

Cicero.

Sorites, colligēdi ratio.

Huiuſmodi verò argumentandi forma dicitur vulgo tenere per primam regulam anteprædicamentalem, aut de primo ad vltimum, quia fit per media multa collectio. Sumitur præterea ex hac regula argumentandi, altera colligendi ratio quam Cicero ſoritem appellat. ea eſt cum prædicatū prædicati ſubiecto additur. vt quod homo eſt, animal eſt. quod animal, animatum. quod animatum, corpus, quod corpus,

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*corpus, ſubſtantia. ergo quod homo ſubſtantia. Huius rationis argumentandi autor dicitur fuiſſe, atque inuentor Eubolides. Eam tamē expoliuit Chryſippus. Vnde illud Perſij, Inuentor Chryſippe tui finitor acerui. Solebant enim hi per coacervationē argumentari, & gradatim interrogare, quo more plurimum Socrates vſus eſt. dicta eſt autē hæc forma ſorites. i. cumulus vel coarceruatio παρὰ τοῦ σωροῦ. Vnde σωρεύειν.* *Eubolides.* *Chryſippus.* *Perſius.* *Socratis modus arguendi.*

Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ: vt animalis, & ſcientiæ. Animalis enim differētiæ ſunt, greſsibile, bipes, & volatile, & aquatile. Sciētiæ verò nulla earum eſt: neque enim ſcientia à ſcientia differt, in eo quòd bipes eſt. Subalternorum verò generum, nihil prohibet eaſdem eſſe differentias: ſuperiora enim de ijs, quæ ſub ipſis ſunt generibus prædicantur, quare quæcunque differentiæ prædicati fuerint, eædem erunt etiam ſubiecti.

*Hactenus primum documentum explicuimus, æquum eſt iam vt alterum planum faciamus. Id vt fiat facilius: animaduertendmu eſt plurimum intereſſe inter genera diuerſa & genera poſita ſubalternatim. diuerſa genera ſunt quæ omnino à ſe inuicē diſtant. Vt duo ſuprema genera, ſubſtātia, inquam, & quantitas. Aut quæ continētur ſub diuerſis generibus ſupremis. quod indicat Ariſt. exēplis quibus vtitur, animal enim & ſcientiam diuerſa genera vocat, & minime poſita ſubalternatim. ſub alterna vero, aut genera poſita ſubalternatim: ea ſunt, quorum vnum ponitur ſub altero aut vtrunq; ſub tertio vt ſubſtantia, & corpus animatum & inanime. Inquit ergo Ariſtoteles quòd diuerſorum generum & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ. Quaſi dicat, diuerſa genera & quorum vnū ſubaltero non ponitur diuerſas habere differentias, non ſecundum accidens tantum, ſed ſecundum ſpeciem, atque reuera diuerſas. Hoc enim pacto. Ariſtoteles interpretatur iſtud præceptum, capite. iij. lib. vi. topi. Neque enim audiendi ſunt qui putant Ariſtotelem dicere diuerſorum, generum diuerſas eſſe ſpecies & differentias, græce enim ita habet Ariſtoteles.* τῶν ἑτερογενῶν, καὶ οὐχ ὑπαλλήλα τεταγμένον ἑτέραι τῷ εἴδει καὶ διαφοραί. *Documētum.* *Genera diuerſa.* *Subalterna genera.* *Præceptū Ariſto.* *Cōfutat.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Differentiæ duplices.

Cum autem duo ſint genera differentiarum quædam diuidentes, aliæ conſtituentes, iſtud præceptū vtrunque genus amplectitur. nam quia animal & ſcientia, verbigracia. genera diuerſa ſunt vtraſque differentias diuerſas habent. Nam animalis conſtituens differentia eſt animatum ſenſu præditum, diuidentes autem ſunt rationale, irrationale, mortale & immortale. Sciētiæ vero nulla iſtarum. quinimò

Differentiæ ſcientiarum.

ſcientiam conſtituit certitudo & firmitas rationum, & res ſe habere ſemper eodem modo, diuidentes vero differentiæ ſunt actiuum & contemplatiuum. dixit diuerſorum generum quæ non ſunt poſita ſubalternatim diuerſas eſſe ſpecie differentias, nam ſi ponantur genera ſubalternatim neceſſariò habent eaſdem differentias conſtituentes. licet diuidentes eaſdem habere non oporteat. Hoc aperte conſtat nam differentia ſuperioris de eo dicitur cuius eſt differentia, ſuperius autem de inferiori prædicatur, ergo & eiuſdem differentiæ. vt dictum eſt paulò ſuperius. Nam ſi animal dicitur de homine vt de ſubiecto & ſenſitiuum de animali, ſenſitiuum prædicabitur de homine, atque erit eiuſdem differentia, quod autem neceſſe non ſit habere eaſdem differentias diuidentes, exemplo monſtratur. nam animal & brutum ſubalternatim ponuntur, & animal diuidunt particeps rationis, & expers, mortale & immortale. brutum vero nulla iſtarum ſed volucre, aquatile, terreſtre.

Argumentum. 1.

Secūdum analogiā nihil prohibet diuerſorū generū eſſe eaſdē differentias.

Contra hanc vero ſententiam eſt argumētum, videtur enim poſſe contingere vt diuerſa genera quæ non ſunt poſita ſubalternatim eaſdem habeant differentias. Nonne domus inſtrumenta omnino diuerſa ſunt ab animali? Atqui vtriuſque eædem ſunt differentiæ. nam vt animalium quædam pedibus carent, alia pedes habent, ſic domus inſtrumenta quædam ſine pedibus ſunt, vt mortarium & patinæ, alia pedes habent. vt ſella. nos non negamus fieri poſſe, vt diuerſa genera eaſdem habeant differentias analogia hoc eſt proportione & ſimilitudine, quod accidit in præſentia. ſpecie verò id eſt, ſecundum rem, ſane prohibet.

Differentiæ ſecundum ſpeciē, ſecundū rem.

Argumentum. 2.

Secundo ſic obijcio Ariſtoteles enim peſſime videtur exempla tradere, & parum quidem apte ad rem. nam cum ſermonem habeat de differētijs

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*differẽtijs ſpecie, id eſt ſecundum rem diuerſis ille exemplo vtitur ad rem explanandam differentiarum accidentalium. greſſibili, inquam, bipede, volatili, aquatili, quibus animal non conſtat, neque eiſdem definitur. Ad hoc dicendum eſt, quòd cùm differentiæ pluribus modis ſumantur, vt poſt Ariſtotelem in topicis eleganter docet Rodolphus agricola libro primo de inuẽtione, cõſultò Ariſtoteles in præſentia vſus eſt exemplo differẽtiarũ naturæ quæ à loco ſumũtur, & minime videntur habere rationẽ differẽtiarum, vt eo pacto ſignificaret nullas differentias eaſdem eſſe poſſe ijs, quæ diuerſa genera ſunt.* Dilutio. Rodolphus.

## ¶ *Argumentum diuiſionis categoriarum.*

*CVm Ariſtoteles de decem primis generibus acturus eſſet, quorũ explanatio difficilis eſt, anteaquàm ſingula exponat, guſtũ quendam omnium præbet. Ponit enim numerum atque exempla ſingulorum. His addit propoſitum ſuum in hoc libro.*

## ¶ Caput quartum.

EOrum quæ ſecundùm nullam complexionem dicũtur, ſingulum aut Subſtantiam ſignificat, aut Quantitatem, aut Qualitatem, aut Ad aliquid, aut Vbi, aut Quando, aut Situm, aut Habere, aut Agere, aut Pati. Eſt autem Subſtantia quidem, (vt figuraliter dicatur) vt homo, equus. Quantitas autem, vt bicubitum, tricubitum. Qualitas, vt album, grãmaticum. Ad aliquid, vt duplũ, dimidium, maius. Vbi, vt in foro, in Lycéo. Quando, vt heri, ſuperiori anno. Situm eſſe, vt iacet, ſedet. Habere, vt calceatũ eſſe, armatum eſſe. Agere verò, vt ſecare, vrere. Pati, vt ſecari, vri. Singula igitur eorum, quæ dicta ſunt, ipſa quidẽ ſecundùm ſe, in nulla affirmatione dicuntur, vel negatione. Horum autem ad ſe inuicem complexione affirmatio fit, vel negatio. Videtur autẽ omnis affirmatio aut negatio, vel vera, vel falſa eſſe: eorum autem, quæ ſecundùm nullam complexionem dicuntur, nullum neque verũ, neque falſum eſt, vt homo, album, currit, vincit.

*CVm immenſam & pene infinitam rerũ naturalium copiam humana mens anguſtis corporis finibus concluſa, capere non poſ-* Philoſophorũ in



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſtitutũ in tradẽdis diſcipli-nis.

ſet, inuentores artium vniuerſam illam ad paucas voces referre conati ſunt vt minori negocio à rudibus hominibus percipi poſſet, atque vt artifices multi & diuerſi olim extiterunt, ita quoque ſinguli rationem id efficiendi diuerſam ſunt ſequuti. Grammatici enim voces omnes ad octo diuerſas voces quas partes orationis appellant retulerunt. Porphyrius ea in quibus verſatur dialectica ad quinque communes voces reduxit, at Ariſtoteles vir ſummo ingenio eadem ipſa ad decem genera tãquam ad decem fontes reuocauit. Nihil eſt enim in vniuerſa rerum natura quod non aliquo decem iſtorum generum contineatur. modo illud vnum ſit. nam eorum quæ complexa ſunt, alia quidem ratio eſt, vt paulo inferius dicemus. Sed cum complexorum multæ ſint partes (vt alio loco à nobis explicatũ eſt.) aut enim vox complexa eſt, & ſignificatum incõplexum vt neapolis hyppogriphus aut ſignificatum complexum vox ſimplex. vt elementum. a. v. g. ſi perinde ſignificet atque vna integra oratio, aut vtrunque complexum eſt, vt homo currit. homo vincit. à prædicamẽto quidẽ reijciũtur quæ re & voce complexa ſunt & quæ re tantum ſunt complexa cætera vero quia ſumuntur loco incomplexorum nõ cenſentur aliena à prædicamẽtis. id genus eſt corpus animatum. huc ſpectans Ariſtoteles inquit, eorũ quæ ſecũdum nullam cõplexionẽ dicuntur. &c. Quibus verbis ſignificat quamcunque compoſitionem cõmemoratarum impedimento eſſe quominus aliquid ponatur in prædicamento.

Porphy-rius.

Cõplexo-rũ multæ ſunt par-tes.

A prædi camentis quæ com plexa re-ijciantur

Subiungit deinde. dicuntur. hoc eſt, prædicãtur de alijs. vt reijciat à prædicamẽto coniunctiones præpoſitiones cæteraſque partes orationis quæ per ſe de nullo alio dicuntur. Eadem etiam voce Ariſtoteles ſignificat in hoc libro de vocibus potiſſimũ eſſe ſermonem, quatenus illæ res ſignificant medijs animorum conceptibus. Illæ enim voces tãtum dicuntur quæ res indicant atque declarant.

Potiſſi-mũ ĩ prædicamen tis de vo-cib' eſt ſer mo, vt res ſignificat

Dicet quiſpiam ſi incomplexa tantum pertinent ad prædicamẽta, quo conſilio Ariſtoteles vtitur exemplo complexorum dicẽs. Armatum eſſe, calciatum eſſe, in foro eſſe, quæ ſunt complexa? Deinde cur quatuor prima prædicamenta ſubſtantia, quantitas, qualitas, ad aliquid appellantur incomplexa, Sex reliqua cõplexa, Dicemus Ariſtotelem

Obiectio

Solutio.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*telem vti complexis hoc loco pro incomplexis, quia incomplexa non facile ſuppetunt. Sex autem vltima prædicamenta (quod ſuo loco apertius monſtrabimus) non vocantur complexa quod multa ſingulis in animo reſpondeant. nam eorum natura quemadmodum priorum quatuor prædicamentorum ſimplex atque incompoſita eſt, ſed quoniam natura & forma quam ſingula ſex prædicamenta ſignificant ortum habet ex alijs quatuor prædicamentis.*

*Exiſtit hoc loco quæſtio cum ſit duplex genus ſubſtantiæ vna eſt ſubſtātia infinita vt deus, altera finita vt homo. qua ratione ductus Ariſtoteles ſpiritalem atque infinitā ſubſtātiam prætermiſerit, corporeæ vero & finitæ exēplum attulerit, an id eſt ab Ariſtotele factū quod velit tantum figura quadam, hoc eſt rudi & pingui minerua, ſingula prædicamēta explicare. non exacte atque perfecte? Oportuit ergo eius ſubſtantiæ meminiſſe, quæ ſenſu percipi poterat. aliam vero miſſam facere, ad cuius cognitionem non difficile contēdere licet atque etiam peruenire, per ſenſibilem ſubſtantiam, ſi quando illius noticia ſit opus.* Quæſtio cur prætermiſit ſpiritalē ſubſtātiā Solutio.

*Cum autem accidēs duplex ſit vnum quod eſt in corpore, alterum quod in animo Ariſtoteles vtriuſque partis accidentis exemplum exhibuit dicens, album & grammaticum.* Duplex accidēs.

*Illud etiam verbum videtur, quo vſus eſt Ariſtoteles cum inquit videri omnem affirmationem verū aut falſum ſignificare ad modeſtiam referendum eſt. vt eſt à nobis multis alijs locis ſignificatum.*

*Abſoluta explicatione ſententiæ Ariſtoteleæ præſenti loco ſumpta ocaſione ex eiuſdem philoſophi verbis vertitur in quæſtionem, vtrum decem tantum ſint prædicamenta. Et quidem videtur quod oportuerit plura facere quam decem, nam qua ratione Ariſtoteles facere & pati duo facit prædicamenta diuerſa eadem ratione habere & haberi duo erunt. deinde multa ſunt, quæ nullo iſtorum decem generum videntur contineri. Nam priuationes rerum, negationes præterea, in quo prædicamento exiſtant non ſatis video. Rurſum ſi rem propius contemplemur reperiemus vnum prædicamētum ſubſtātiæ ſatis eſſe cum cætera non per ſe ſed in ſubſtātia exiſtant. De hac* Vtrū tantum decē ſint prædicamēta Prima obiectio. Secunda. Tertia.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Soluitur adducta dubitatio.

quæſtione longa atque impedita nimis controuerſia fuit inter vete-
res philoſophos. Nam Plato putabat omnium rerum vnum tantum
eſſe genus nempe ens, quare vnum aiebat eſſe potiſsimum prædica-
mentum ad quod cætera pertinerent, quæ in ordine illo quem facie-

Plato.

bat Plato collocarētur atque exiſterent. Exiſtimabat ille quòd vt in
familijs omnia ad vnum principium recurrunt vnde orta ſunt, nem-
pe ad Iouem, quem homerus opinione antiquitatis patrem facit ho-
minum atque deorum, ita quoque euenit in prædicamētis. Quam Pla
tonis ſententiam quātum ego intelligo Porphirius explodit in capite

Pythagoras.

de ſpecie. Pytagoras verò qui primus omnium philoſophi nomen in-
uenit. (nam ante eius ætatem qui tenebant arcana naturæ σωφοὶ,
id eſt, ſapientes vocabantur) viginti fecit prædicamenta. decem qui-
dem rerum inexiſtētium & perfectarum. decem prætereà imperfe-
cta, in quibus priuationes repoſuit. cuius opinionem Ariſtoteles ſæpe
numero, maxime verò in libris de phiſica auſculatione, & lib. v. de
prima philoſophia refert, atque confutat. verum Ariſtoteles loco ci-
tato & primo libro ethicorum atque etiā primo topicorum euidenti
ratione demonſtrat decem tātum eſſe prædicamēta, cuius rationem
nos in præſentia explicabimus. ratio verò hoc pacto ſumenda eſt.

Ratio ſumēdi numerū categoriarum.

Quod prædicatur aut ſubſtātiam ſignificat quam de altero prædi
cat, aut accidens, ſi ſubſtantiam, conſtituit primum prædicamētum,
ſi accidens ſignificat aut id per ſe ſubſtātiæ ineſt, atque internè, aut
externè, ſi internè aut ſimpliciter ineſt & ſine relatione aut ſecun-
dum reſpectum cōſideratur. Si primo modo ineſt aut habet rationē
materiæ, & eſt quātitas, aut rationem formæ, & eſt qualitas. Si ve-
rò dicat relationem: conficit prædicamētum ad aliquid. ſi quod dici-
tur ſit extra ſubſtantiam, aut omnino extra eam eſt, aut non omni-
no. ſi omnino: aut eſt menſura ſubſtātiæ, aut non eſt menſura. ſi nō
ſit menſura, vel eſt habitus vt veſtitum eſſe, calciatum eſſe, aut par
tium diſpoſitio, & eſt ſitus. vt iacere, ſedere. ſi menſuram dicit.
aut menſuram ſecūdum quantitatem & eſt vbi. nam ea tantum in
loco exiſtunt quæ quāta ſunt. aut menſuram durationis, & eſt quā-
do. Poſtremo ſi partim ab extrinſeco inſit, partim ab intrinſeco ſi
principium

(c) 2007 Ministerio de Cultura

principiũ ab intrinſeco eſt, actio eſt, ſi terminus ſit extrinſecus, paſſio. nam calefacit quod agendi principium habet. calefit quod calorẽ ſuſcipit. Decem ergo ſunt prædicamenta quia decem tãtum ſunt modi ſecũdum quos prædicamenta accipiuntur. Alia etiam ratione numerus prædicamẽtorum capi poteſt, quæ hoc modo explicatur. Quod eſt, aut per ſe ſubſiſtit, aut exiſtit in ſubſtantia, aut circa ſubſtãtiam verſatur. ſi per ſe ſubſiſtat. ſubſtantia eſt, ſi inſit in ſubſtantia aut ſine reſpectu eſt aut reſpicit alterum. ſi abſolute dicatur, aut rationem habet materiæ & eſt quantitas. aut formæ, & eſt qualitas. ſi relationem dicat eſt ad aliquid. quod ſi circa ſubſtantiam verſetur & naſcatur ex ſubſtantia & quantitate fiunt vbi & quando, quia in loco eſſe vel in tempore ad ſubſtantiam pertinet præditam quantitate: ſi ex ſubſtantia & qualitate naſcatur eſt agere aut pati. agit enim ſubſtantia qualitate vt ignis calore. Patitur etiam à qualitate, ſi fiat ex ſubſtantia & relatione eſt ſitus, ex ſubſtantia verò ſibi adiuncta efficitur habere. Atqui nullo alio modo cõtingit vnum ineſſe alteri. Decem ergo tantum ſunt prædicamenta quia neq; plura neq; pauciora reperire licet. Hæc omnia decem prædicamẽta in vna atque eadem re exiſtunt verbi gratia in Socrate. Nam quatenus homo eſt, ſubſtantia eſt. vt tricubitus, quantus, vt candidus, qualis, vt inſtructor Iuuenum ad aliquid, vt in lycio vbi. vt peloponeſiacis temporibus, quando. diſputans agit, dum cernitur patitur, vt recubãns ſub platano vt humilitatem orationum lyſie audiret, ſitum eſſe, vt habens veſtes circundatas habere, quæ omnia ſi hoc pacto componantur integrum ſenſum reddent. Socrates tricubitus candidus. puerorum inſtitutor, in lycio peloponeſiacis temporibus recubans ſub platano conſpiciebatur audire humilitatem orationum lyſiæ ſordidis veſtibus amictus. Concluduntur autem decem prædicamenta duobus his carminibus, quæ Murmelius refert.

Secunda ratio conſtituendi numerũ.

Oĩa decẽ genera ĩ eadem re cernũtur

Murmelius.

Arbor ſex pueros, feruore, refrigerat, vſtos.

Ruri, cras, ſtabo, nec tunicatus ero.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Soluũtur rationes adductæ in contrariam ſententiam.

IAm vero facile eſt adductas in contrariã partem rationes diſſoluere. Primum quidem dicendum eſt Ariſtotelem nõ immerito diuerſa feciſſe prædicamenta agere & pati. Sunt enim reuera diuerſa. Non oportuit tamen vt habere atque haberi diuerſa putaret quia haberi ponitur in prædicamento ſitus. illud enim haberi dicitur quod eſt alicubi ſitum vt arbores in horto. Secunda ratio inferius ſoluetur quo loco conſtituemus quæ ſint quæ in prædicamentis ponuntur. Poſtremo loco obiectum ſoluitur eo nomine quod licet ſubſtantia cætera omnia ſubſtentet ſingula quæ in ſubſtantia exiſtunt peculiarem propriamq́ue rationem habent, à ſubſtantiæ definitione aut deſcriptione diuerſam, diuerſa autem ratio diuerſum efficit prædicamentum.

Diuerſa ratio diuerſũ efficit prædicamẽtũ

Vtrũ ens diuidatur in decẽ prædicamenta, vt genus in ſpecies &c.

Ens neq; genus eſt, neque totum.

Principium.

Altera quæſtio eſt vtrum ens diuidatur in decem prædicamenta tanquàm genus in ſpecies, an vt totum in partes, an potius aliqua alia ratione, cuius quæſtionis ſolutio tota pendet ex ea quæſtione, vtrũ ens ſit genus decem prædicamentorum an totum, de hac tamen re quoniam multa diximus cum caput de ſpecie enarraremus pauca tãtum in præſentia reuocaſſe in memoriam ſatis erit. Illud in primis quod ens neque genus eſt neque totum. quam obrem cum in decem prædicamẽta diſtribuitur id quod eſt neque diuiditur vt genus in ſpecies neque vt totum in partes. Ens enim non eſſe genus teſtatur Ariſtoteles, cum inquit decem eſſe ſuprema genera. cuius ſententiam amplexus eſt Porphirius in capite de ſpecie aſſerens, decem eſſe ſuprema genera tanquam decem rerũ prima principia. Eſt autem principium ex quo aliud & quod non ex alio. Accedit ad hoc quod genus oportet eſſe vniuocum vt in topicis ſcribit Ariſtoteles, at vero ens æquiuocum eſt atque multiplex porphirio autore in capite de ſpeciæ quo loco ſiquis omnia entia vocet æquiuoce inquit nuncupabit non vniuoce. idem teſtatur aperte Ariſtoteles multis locis. quare ens non eſt genus ergo neque diuiditur in decem prædicamenta tanquàm in ſpecies, & cum totum putari non poſſit neque prædicamẽta eius partes vt nos euidentibus argumentis monſtrauimus commẽtarijs in caput de ſpecie, ſupereſt vt hæc ſit diuiſio æquiuoci in æquiuocata, quia ens æquiuocum eſt. Illa verò æquiuocatio eſt ab vno ad vnam natu-

ram

ram ut expoſui loco citato, & Ariſt. teſtatur aperte. cap. i. lib. iiij. de prima philoſophia, hinc fit ut nullum generũ ſupremorum finiri poſſit, quia deſinitio conſtat genere & formarum efficientibus differentijs. Genus vero ſupremum neque ſuperius genus ullum habet, neque conſtituentem differentiam ſed tantum modum quendam quẽ vulgo intrinſecum vocant, qui ea ratione à differẽtia diſtinguitur quòd differentia extra genus eſt. Solum enim poteſtate exiſtit in genere, non actione, at modus entis per ſe & in alio. actione exiſtũt in ipſo ente imponunt tamen modum enti, genera deinde ſuprema ut Ariſtoteles inquit lib. v. de prima philoſophia primo diuerſa ſunt quia nõ diſtinguntur differẽtijs, ſed ſeipſis aut modo aliquo. Illa verò primo diuerſa genera ſunt eodem autore lib. xx. de prima philoſophia quæ non continentur eodem genere, neque differentijs diſtinguntur. Illa verò differunt, quæ, cùm contenta ſint diuerſo genere, dirimũtur differentijs. Sunt huiuſmodi quæ in eodẽ exiſtunt prædicamento. Vnde fit, ut genera ſuprema, atque etiam differẽtiæ conceptus ſimpliciter ſimplices paſſim dicantur. Præterea meminiſſe neceſſe eſt, quòd ut decem ſunt ſuprema genera, ita quoque decem ſunt formæ interrogandi de his generibus. Quid ſubſtantiam rogat, ut quid eſt Socrates? homo, quantum, quantitatem, ut quantus eſt Socrates? quadricubitus, quale, qualitatem, ut qualis Socrates eſt? ſubniger, aut pallidus. quid huius, ad aliquid. ut quid Sophronici eſt Socrates? filius. quid agit, actionem, ut quid agit Socrates? diſputat. quid patitur, paſſionẽ. ut quid patitur Socrates? mortem cicuta. Vbi eſt, quando fuit, quomodo ſitum eſt, rogat ſitum. ut quomodo ſitus eſt Socrates? recubat ſub platano. quomodo habituatum, habitum, ut quo pacto habituatus Socrates eſt? ſordido pallio amictus.

*Supremũ genus definiri nõ poteſt.*

*Genera primo diuerſa q̃ ſint.*

*Cõceptus ſimpliciter ſimplices.*

*Interrogandi formæ decẽ ſunt.*

Quoniam verò non omnino conſtat, quæ ponenda ſint in prædicamentis, & quæ ab illis reijciẽda, profuerit ſanè in præſentia quæſtionem iſtam abſoluere: ne, quod plerique faciunt, huius rei ignoratione lectori tenebras offundamus. In primis nulla vox compoſita exiſtit in prædicamento, niſi loco ſimplicis uſurpetur. Hoc ſignificat Ariſtoteles, cùm inquit. Eorum quæ ſecundum nullam cõplexionem dicuntur,

*Quæ ſint in prædicamentis ponenda.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

tur, ſingula aut ſignificant &c. exiſtunt autem complexa in prædicamentis ratione partium ſuarum.

Secundo. Secundò nullum ſincathegorema ponitur in prædicamētis. Quod vt reijceret, inquit Ariſtoteles: dicuntur. Quam obrem ex octo partibus orationis, nomen, & verbum, quod actionem, vel paſsionem ſignificat, locum habet in prædicamentis. Participium verò cum verbo ponitur. Aduerbia pro ingenio, atque natura ſua ad diuerſa prædicamenta referuntur. Ratio verò, cur cæteræ partes procul à ſerie prædicamentali abſint, ea eſt, quia rem nullam ſignificant.

Tertio. Tertio vox, quæ ſignificat rem commentitiam, non exiſtit in prædicamento. Nam in eo ſolùm reponuntur, quæ rem ſignificant, quæ in natura verſatur. Quare audiendus non eſt, qui animorum figmenta, quæ Entia rationis vulgo vocant, in prædicamentis collocat.

Cōfutat. Multò etiam minus ferendus eſt, qui vndecimum confingit prædicamentum, ad quod illa referantur: cùm Ariſtoteles, ratione ita poſtulante, decem tantùm ſtatuat. Non defuerunt tamen, qui, vt hæc ipſa perurbanè tractare viderentur, ratione repugnante cenſuerunt, in ante prædicamentis debere collocari. Quaſi verò ante prædicamenta ſimilem vſum adferre poſsint: & non potius eum, qui eſt à nobis explicatus ſuo loco.

Quarto. Ambiguitas à diſciplinis reijciēda. Quartò nullum æquiuocum ſedem habet in prædicamentis, remouenda eſt enim à diſciplinis omnis ambiguitas, quæ magnopere ingenia ad diſcētium perturbat, retardatque, nihil autem vetat exiſtere in prædicamentis ratione ſingulorum, quæ ſignificant.

Quinto. Quintò nulli voci ſignificanti ſecundam notionem, quam ſecundam intentionem vocant, patet aditus ad prædicamenta.

Sexto. Sexto nullum vocabulum, quod ſignificet actu infinitū, vt deus, creator, neque quod ſignificat omnia, vt ens, res, & ſimilia, eſt in prædicamentis: quibus enim finibus contineri poterit, quod amplectitur omnia, aut vbique eſt? atqui prædicamenta ſunt veluti decem termini, exituſque rerum.

Septimo. Septimo priuationibus, & negationibus præcluſa via eſt ad prædicamenta, vel ea ratione, quia nihil ſignificant: niſi velis priuationes

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*nes habitibus coniungere, & negationes affirmationibus.*

*Vox etiam, quæ ſignificat principium rei habentis materiam, in prædicamento non eſt: verbi gratia materia, forma, anima, vnitas, punctum. Cuius rei rationem aliqua ex parte attigimus paulò ſuperius. Vult enim Ariſtoteles ea tantùm ponere in prædicamentis, quorum eſt cognitio aliqua. atque vſus apud multitudinem. Multitudo verò neque punctum, neque momentum, neque materiam, neq; formam nouit. Nam iſtorum omnium notitia propria eſt eorum, qui aliquo pacto diſciplinas nouerunt. Illa verò ad illud prædicamentum referuntur, in quo ea exiſtunt, quorũ principia ſunt. Quare pũctum ad quantitatem reducitur, anima ad ſubſtantiam, atque in cæteris ſimili modo. Vno autem è tribus modis aliquid eſt in prædicamento. aut rectè, hoc eſt, in recta linea, vt genera, atque ſpecies. aut obliquè, vt differentiæ, quæ referuntur ad illud prædicamentum, in quo ponũtur ſpecies, quas conficiunt. Poſtremò tandem ad latus, vt initia rerum, atque earum partes. Quare materia, & forma ad ſubſtantiam pertinent. Punctum, & vnitas ad quantitatem. motus verò ad illud prædicamẽtum, in quo ineſt eius terminus: nam rectè non eſt in prædicamẽto, cùm ſit alterius gratia. Generatio ergo, & corruptio cùm ſint ad ſubſtantiam, ad eam quidem referuntur: Augmentatio, & diminutio ad quantitatem, Alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad vbi.*

Octauo. Tripliciter aliqd eſt in prædicamẽto. Motus in quo ſit pdicamẽto

*Poſtremò paſſiones rerum non ponuntur rectè in prædicamento illo, in quo exiſtit ſubiectum paſſionum. Reducuntur tamen ad idem prædicamentum, vt explicat Hamonius commentarijs in caput de qualitate: Et in eodem ſermone inſinuat Ariſtoteles, cùm ait: In prædicamento qualitatis ſunt rectum, atque curuum, quæ ſunt paſſiones figuræ.*

Nono. Hamoniꝰ

## ¶ *Argumentum capitis de ſubſtantia.*

*HActenus pingui (quod aiunt) minerua, tãtũ, inquã, exẽplis adhibitis, decem prædicamẽtorum noticiã exhibuit nobis Ariſtoteles. Iam nũc vberiorem eorũdem guſtũ præbet: ſingula namq; latius*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*explanat. Eo tamen pacto, vt in generibus explicandis magnam rationem habeat eorum, quibus hic liber ſcriptus eſt. Neque enim ſublimia attingit hoc loco, quæ ſunt ab eodẽ de decem generibus ſcripta in libris de prima philoſophia, ſed deſcriptionem ſingulorum inquirit. Hoc vt efficiat, mira quadam arte in ſingulis capitibus proprium eius generis inueſtigat, quod explanaturus eſt: vt eo agnoſci à nobis poſſit, atque à cæteris generibus ſeparari. Huius præcepti memor ſubſtantiam quæ primum ſeſe offert in primam & ſecũdam diuidit vnã deinde alteri confert. His adiungit communia ſubſtantiæ cum cæteris generibus. Poſtremo maxime proprium ſubſtantiæ tradit, quo ab alijs diſtingui poſſit.*

## ¶ Caput quintum de ſubſtantia.

SVbſtantia autem, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, eſt, quæ neq; de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt: vt quidam homo, & quidam equus. Secũdæ autem ſubſtantiæ dicuntur ſpecies, in quibus eæ, quæ principaliter ſubſtãtiæ dicuntur, inſunt, & hæ quidem, & harum ſpecierum genera: vt quidam homo, in ſpecie quidem eſt in homine: genus verò ſpeciei animal eſt. Secundæ igitur hæ ſubſtantiæ dicuntur: vt eſt homo, atque animal.

*Dubitatio. 1. Cur prĩo loco ponatur ſubſtantia.*

*PRimum omnium illa exiſtit dubitatio, cuius rei gratia principem locum Ariſtoteles ſubſtantiæ conceſſerit. Illa verò ratio dubitãdi eſt quia à notioribus nobis eſt incipiendum, ſed accidentia notiora ſunt quàm ſubſtãtia (cum nos in cognitionem ſubſtantiæ perducãt.) ergo prius debuerunt explicari cætera genera quam ſubſtãtia. Nam incipiendum nobis eſt (Ariſtotele autore) vnde quis facilius diſcat.*

*Solutio. Gña rerũ tria.*

*Nos multis nominibus ſubſtantiam dignam putamus quæ principem locum obtineat inter hæc decem genera. Cum enim tria ſint genera rerum vnum earum quæ per ſe ſunt. aliud earũ quæ inſunt in his quæ*

*Prima rõ Quod p ſe exiſtit*

*exiſtunt per ſe, aliud denique earum rerum quæ circa ſubſtãtiam verſantur, quod exiſtit per ſe prius eſt in natura quàm cætera. quare ſub-*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſtantia cum ſola exiſtat per ſe primo loco conſtitui debuit. conſequũtur deinde cætera genera accidentium. Secunda ratio eſt, quod eſt prius altero, natura ſua prius cognoſci poteſt quàm illud quo eſt prius. nam ex ratione exiſtendi ortũ habet cognitionis ratio, ſed ſubſtantia eſt prior quàm accidentia, ergo iure optimo priori loco reponi atque explicari debuit. & reuera ſic eſt, ipſam ſubſtantiam præſertim primam ab hominibus facilius cognoſci quàm accidentia. Homines enim literarum rudes cum ſubſtantiam tantum contemplentur illam maxime nouerunt. accidentia verò quæ in ſubſtantia ſunt, idem ſane putant eſſe cum ipſa ſubſtantia, atque ideo promptior eſt cognitio ſubſtantiæ quàm accidentium. Nam cognoſcere accidentia abſque ſubſtantia non cuiuſuis hominis, ſed docti tantum atque ſapientis eſt. Secundo loco dubium eſt cuius ſubſtantiæ Ariſtoteles in præſentia mẽtionem faciat, cuius proprium inquirat. Si enim de quauis ſubſtantia ſermo eſt, cur ſpiritalis ſubſtantiæ neque exemplo ſit vſus neque meminerit vnquam? Accedit ad hoc quod ſuſcipere contraria non conuenit ſubſtantiæ ſimplici atque ſpiritali. & hoc eſt maxime proprium eius ſubſtantiæ quàm hoc loco explanat. Si verò dicamus non haberi ſermonem de omni ſubſtantia iure quiſpiam exiſtimabit iſtam diſputationem de ſubſtantia non eſſe abſolutam atque perfectam. ſed inchoatam tãtum, quod indignum eſt Ariſtotelis diligẽtia atque ſtudio. Vt quæſtionem propoſitam diluamus, animaduertendum eſt ſubſtãtiam duobus modis vſurpari ab Ariſtotele ſolere. aut enim ſubſtantia idem eſt quod eſſentia rei & hac ſignificatione nomen ſubſtantiæ pertinet etiam ad accidentia. Illa enim ſingula eſſentiam peculiarem habent. accipitur ſecundo modo ſubſtantia pro ea re quæ nõ eſt in alio ſed per ſe exiſtit. Quo intellectu ab accidentibus maxime differt, quæ non per ſe ſed in ſubſtantia exiſtunt. Hæc deinde duplex eſt vna compoſita altera ſimplex. compoſita ex materia & forma fit, vt Socrates. Bucephalus. Liciſca, ſimplex materia & corpore vacat. Hæc duplex eſt vna præſtantior compoſita vt deus atque angeli, altera deterior quam compoſita, vt materia prima atq; forma. vnumquodque enim compoſitum multo præſtantius eſt ſingulis

Quod ꝑ ſe exiſtit. Secunda.

Subſtantia prima eſt maxime obuia.

Dubitatio. 2. Cui' ſubſtantiæ faciat mentionẽ Ariſtoteles ĩ præſẽtia.

Solutio. Subſtantia dupliciter vſurpatur.

Subſtantia duplex.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Compoſitum præſtãtius eſt ſingulis partibus.
De qua ſubſtãtia diſputet Ariſto.

gulis partibus quibus conſtat. in præſentia igitur Ariſtoteles diſputat de ſubſtantia quæ per ſe exiſtit, & compoſita eſt. de cæteris verò generibus ſubſtantiæ verbum nullum dicit. Tum quia vulgo ignotæ ſunt, & his hominibus quibus hic liber ſeruire debet. Tum etiam quia de ſubſtantia illa quæ peior eſt quàm compoſita, & eſt rei naturalis principium lib. 1. de phiſica auſcultatione Ariſt. latiſsime diſputat. De illa verò quæ melior eſt quàm cõpoſita in prima philoſophia multa diſputat. Hæc ergo ratio eſt cur hoc loco tantum de compoſita ſubſtantia. orationem habeat. eſt enim ſubiectum omnium accidẽtium atque etiam ſecundæ ſubſtantiæ. quo ſenſu accipit ſubſtantiam Ariſtoteles in prædicamentis. Quoniam verò vniuerſa ſubſtantia nõ ſatis exacte vna definitione explanari poteſt, eam initio diſputationis Ariſtoteles in duas partes diuidit. in primam videlicet atque ſecundam ſubſtantiam. nam diuiſio magnam lucem atque ſplendorem conciliat orationi. primam appellat ſingularem atque indiuiduam ſubſtantiam huiuſmodi eſt quidam homo, quidam equus, inquit Ariſt. ſecundam appellat vniuerſalem ſubſtantiam. genera inquam, atque ſpecies ſubſtantiæ. ſunt id genus, animal, homo, equus. Contra iſtam tamen ſententiam Ariſtotelis de prima & ſecunda ſubſtantia ſic argumentor. vniuerſalis & communis ſubſtantia potius eſt prima ſubſtantia quàm ſubſtantia ſingularis atque indiuidua ergo ſententia Ariſtotelis falſa eſt, conſequentia nota eſt. antecedens probatur, nam cũ indiuidua ſubſtantia prima vocatur, aut primum dicit præſtantiam & dignitatem aut tempus, vtroq; enim intellectu prius & primum dicuntur Ariſtotele autore capite de priori. atqui neutro modo indiuidua ſubſtantia prima cenſeri poteſt. Primum quidem non eſt præſtantior quàm vniuerſalis ſubſtantia quod hac ratione conuincitur. Omnis cauſa eſt prior atque præſtantior quàm quod ex ea effectum eſt ſubſtantia vniuerſalis eſt cauſa indiuiduæ & ſingularis, ergo eſt præſtantior & melior quàm ſingularis. diſcurſus eſt legitimus, & maior manifeſta, minor probatur. Quia vniuerſalis ſubſtantia principium eſt indiuiduæ. decem enim ſunt genenera ſuprema, tanquam decem rerum

Diuiſio maximè conducit ad cognitionẽ parandam.
Secunda ſubſtãtia
Argumẽtum.

prima

prima principia. vt Ariſtoteles ait libro. iiij. de prima philoſophia, cuius ſententiam repetit Porphirius in capitulo de ſpecie. Neque in diuidua ſubſtantia prima putari poteſt quòd vniuerſalem antecedat tempore aut natura, ſed contra potius. Nam quod aufert aliud, & ab eo nō aufertur, eſt prius, ſed vniuerſalis ſubſtantia aufert primam & non aufertur ab ea, ergo vniuerſalis ſubſtantia eſt prior quàm in diuidua, cætera aperta ſunt. Minor autem probatur: nam qui hominem tollit ſingulos homines tollit. qui verò, Socratem aut Platonem aufert non neceſſe eſt vt hominem auferat. ergo nulla cauſa eſt cur Ariſtoteles indiuiduam ſubſtātiam primam vocet, vniuerſalem verò ſecundam deinde quia perpetuum prius eſt temporario, ſecūdæ ſubſtantiæ perpetuæ ſunt, primæ temporariæ. item ſecundæ ſubſtātiæ neque generari neque corrumpi poſſunt, primæ generātur & corrumpuntur. hæc quæſtio quæ non exiguam difficultatem præſe ferre videtur diſſoluatur, oportet vt accipiamus quòd Ariſt. ſæpe numero rem definit de qua cōtrouerſia eſt, non tam ex propria quàm ex aliorum philoſophorum vel etiam vulgi ſententia atque opinione, etiam ſi ſententiam illam idem autor nō omnino probet. Hoc ſcribit Porphirius in prædicamentorū interrogationibus. Eandem rem late deducit dialectica Iobanij, commentarijs in caput de quantitate. Eandem nos etiam perſequuti ſumus atque adhibitis exemplis illuſtrauimus in libello quem de ratione philoſophandi Ariſtotelis confecimus. Seruat hanc rationem ſcribendi Ariſtoteles lib. ij. metheorologicorum atq; etiam in problematis. Ratio eſt quia eo loco atque tempore non ſatis exacte poteſt rem explanare. neque ſcribendi ratio id facere ſinit, quam ob rem Ariſtotelis ſententia de quacunque re propoſita ex eo loco capi debet in quo de eadem re non obiter ſed propria potius atq; exacta diſſerit oratione. Ergo vt rebus præſentibus ſermonem accommodemus & minori negocio propoſitam dubitationem diluamus dicendum eſt, Ariſtotelem in præſentia cum indiuiduam ſubſtantiam primam vocat non id facere ex propria ſententia. Nam quibus locis de vniuerſali & communi ſubſtantia diſſerit ex profeſſo magno interuallo illam præfert ſingulari atque indiuiduæ ſubſtantiæ in prima

Solutio.

Mos Ariſtotelis in definiēdo

Porphirius.

Dialectica Iobanij.

Liber de ratione philoſophandi.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

enim philoſophia (quod etiam adducta ratio cõuincit.) Atq; etiam capite. xxiij. lib. i. de pri. reſolu. vniuerſale inquit honorabilius eſt ſingulari. Quoniam oſtendit cauſam. Quo loco multas adducit rationes & argumenta quibus demonſtrat vniuerſale præſtãtius atque prius eſſe quam ſingulare. Quod in præſenti loco primam ſubſtantiam appellat, ſequutus vulgi ſententiam, quia prima ſubſtantia proprie ſubſtat & principaliter & maxime, eſt enim ſuapte natura ſubiectum omnium accidentium atque etiam ſecũdarum ſubſtantiarum, quare prima ſubſtantia eſt. id eſt primum ſubiectum. eſt etiam prima, hoc eſt præſtantiſſima ſubſtãtia opinione vulgi. Quod præter ſingulos homines & ſingulas alias ſubſtantias, nihil eſſe putat, quod ab illis ſit omnino diuerſum. Quod autem ex aliorum ſententia hoc dictum ſit ab Ariſtotele plane indicat ratio loquendi de vtraque ſubſtãtia. vtitur enim illis verbis, dicitur & dicuntur. ita inquiens, ſubſtantia quæ proprie & principaliter & maxime dicitur. deinde. ſecundæ autem ſubſtantiæ dicuntur. quæ ratio ſatis eſſe potuit vt principem locum haberet indiuidua ſubſtantia præſenti capite. Rationes & argumenta quibus iſtam ſententiam initio diſputationis impugnabamus facile refelluntur. Illa enim tantum conuincunt indiuiduam ſubſtantiam reuera primam non eſſe. Non tamen vulgi opinione, quo ſenſu Ariſtoteles primam illam vocat. Diximus duplicem eſſe ſubſtantiam, vnã primam, alteram ſecundam, ſupereſt vt anteaquam hinc diſcedamus expediamus quæſtionem illam quo pacto ſubſtantia in duas iſtas partes primam videlicet & ſecundam ſubſtantiam diſtribuatur. Hoc enim intelligere operæprecium eſt. Imprimis verò meminiſſe oportet ſubſtantiam eſſe quæ diuiditur iſta diuiſione, nõ autem (vt quibuſdam videtur) quod poteſt poni in recta linea prædicamẽti ſubſtantiæ. primum quia in præſentia de ſubſtantia ſermo eſt, & prima atque ſecunda ſubſtantia, ſubſtãtiæ appellationem habent. Deinde quia ſi diuideretur iſta diuiſione quod ponitur in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ, ipſum quod diuiditur conueniret membris per quæ facimus diuiſionẽ, hoc aperte conſtat, ex legibus recte diuidẽdi. Atqui ipſa prima ſubſtantia cum indiuidua atque ſingularis ſit non

Prĩa ſubſtantia.

Solutio argumẽtorum.

An hæc ſit diuiſio Subſtantia quare prima & ſecunda.

Quid ſit quod diuiditur.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ponitur in recta linea ſubſtantiæ. ſiquidem prædicamenta ad artem pertinent à qua procul abſunt indiuidua, quia infinita ſunt vt Porphrius inquit in ſermone de ſpeciæ. Et præterea ab eiſdem nulla eſt prædicatio Ariſtotele autore præſenti capite. Quare quod diuiditur præſenti diuiſione, ſi diuiſio cenſenda eſt, proculdubio ſubſtantia eſt. Superest, vt explicemus qualis ſit hæc ipſa diuiſio. Aiunt quidam, diuidi ſubſtantiam vt genus in ſpecies, quia ſubſtantia genus eſt (vt his autoribus videtur) primæ, atque ſecundæ ſubſtantiæ. Sed autores huius ſententiæ errant maxime: nam hæc ipſa diuiſio neque generis in ſpecies eſt, neque totius in partes: imò verò neque diuiſio omnino eſt. In primis non eſt diuiſio generis in ſpecies, vna enim ſpecie abolita, non eſt neceſſe cæteras protinus auferri: nam ſi tollas hominem, nõ aufertur brutum, quod cum homine animal diuidit: ſed ſecunda ſubſtantia aufert primam, ergo ſubſtantia non diuiditur in primam & ſecundam, ſicut genus in ſpecies. conſequẽtia nota eſt, & maior manifeſta. minor probatur: nam ſi hominẽ, aut animal de medio tollas, nullus ſupereſt hominum ſingulorum, neque animal vllum. Deinde cùm cætera omnia à prima ſubſtantia aut ſint in ipſa, aut de ea dicãtur, remota prima ſubſtantia, impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere. Rurſum nunquam vna ſpecies alterã continet, cum qua diuidit genus: oportet enim membra diuiſionis pugnare inter ſe: quod etiam familiaribus exemplis conſtare facilè poſſit: ſed ſecunda ſubſtãtia continet primam verbi gratia ſpecies indiuidua, ergo fieri non poteſt, vt ſubſtantia in primam, atque ſecundam diuidatur, tanquam genus in ſpecies.

*Pr̃ia ſubſtãtia, nõ ponitur ĩ recta linea prædicamẽti*

*Qualis ſit ſubſtãtiæ diuiſio.*

*Carpit quẽdam.*

*Nõ eſt diuiſio generis in ſpecies.*

*Prima ratio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Membra diuiſiõis.*

Neque diuiditur, vt totum in partes, quoniam vel eſſet diuiſio totius in partes ſimiles, aut in partes diſſimiles, neutrum tamen verum eſt. primùm quidem non eſt diuiſio in partes diſſimiles, nam cùm totum diuidimus, illud a partibus ſeparamus. hoc non fit, cùm ſubſtantiam in primam, atque ſecundam diſtribuimus, ergo non eſt hæc diuiſio totius in partes diſſimiles conſequentia manifeſta eſt, & maior conſtat: nam huius rei culpa vicioſa, atque ridicula eſt iſta forma diuidendi. Manus aliud manus, aliud digitus, aliud bola. Minor proba-

*Non diuiditur, vt totum in partes.*

*Ratio. 1. q̃ nõ diuidatur, vt totũ ĩ partes diſſimiles.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*tur: nam cùm ſecunda ſubſtantia primam contineat, alterum membrum diuiſionis, eſt pars alterius. Deinde partes diſsimiles non habent idem nomen cum toto, vt oſtendimus commentarijs in caput de ſpecie: prima verò, & ſecunda ſubſtantia appellationem ſubſtantiæ habent, ergo ſubſtantia non diuiditur in primam, & ſecundam, ſicut totum in partes diſsimiles. neque vt totum in partes ſimiles. nam totius, & partium ſimilium, idem eſt nomen, atque etiam ratio, ſeu definitio, ſed prima, & ſecunda ſubſtantia non habent eandem rationem, hoc eſt definitionem, vt Ariſtoteles docet præſenti capite, ergo non ſunt partes ſimiles ſubſtantiæ, atque ex conſequenti ſubſtantia nullo modo diuiditur in primam, atque ſecundam tanquam totum in partes.*

*Secunda. Neq; vt totum in partes ſimiles.*

*Poſtremò neque diuiditur tanquam equiuocum in equiuocata, aut res, quæ ſignificantur per nomen equiuocum: nam quæ ſignificantur equiuocè, non poſſunt vllo pacto re conuenire: prima verò, atque ſecunda ſubſtantia illud habent commune, quòd non ſunt in ſubiecto. Mihi verò maximè probatur Hamonij ſententia hoc loco aſſerentis, hanc eſſe enumerationem ſubſtantiæ, aut quendam ordinem enumeratorum. Vt ſiquis dicat ex principijs orationis, primum eſt elementum, ſecundum, ſyllabæ, tertium, dictiones, quartum, nomina, & verba. Aut ſi pluribus ſedentibus in conuiuio, dicat Socratem primum ſedere, Alcibiadem ſecundum. In eadem opinione ſunt Porphirius, atque dexipus, præſtantiſsimi philoſophi in quæſtionibus prædicamentorum.*

*Neq; eſt diuiſio multiplicis. Ratio. Hamonij ſententia & noſtra Enumeratio. Porphirius. Dexipus.*

*Iam ad explanationem vtriuſque ſubſtantiæ contendamus, atq; in primis primæ ſubſtantiæ finitionem explicemus. Illa ſic habet:*

Subſtãtia, quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, ea eſt, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur. vt quidam homo, quidam equus.

*Hæc definitio, aut verius deſcriptio primæ ſubſtantiæ vna tãtùm eſt, non duæ, vt quibuſdam videtur: ferunt enim iſtis verbis duas definitiones ſubſtantiæ primæ ſignificari: quarum altera illis verbis cõſtet, Propriè & principaliter, & maximè dicitur. illis altera. Neq;*

*Vna tantũ eſt hæc deſcriptio. Confutat quẽdam.*

in

(c) 2007 Ministerio de Cultura

in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur. Vna tamen duntaxat eſt ſubſtantiæ deſcriptio, quæ duabus partibus conſtat: quarum priori continetur id quod definitur, poſterioribus verbis efficitur definitio. Iſto enim ambitu verborum, Propriè, principaliter, & maximè dicitur, vt Hamonius inquit, primam ſubſtantiam circūloquitur Ariſtoteles, atque eius laudes narrat ex ſententia vulgi. Illis autem verbis, Neque eſt in ſubiecto, neque dicitur de ſubiecto, potiſſimùm conſtat primæ ſubſtantiæ definitio. Cùm dicimus primam ſubſtantiam in ſubiecto non eſſe, illam diſtinguimus ab accidentibus: nam accidentia ſunt in ſubiecto. Cùm verò dicimus non eſſe in ſubiecto, candem ſeparamus à ſecundis ſubſtantijs, quæ, vt oſtenſum eſt, de ſubiecto dicuntur.

*Quomodo à cæteris differat prima ſubſtātia.*

Quamuis autem loco definiti multæ voces ponātur, tres, inquam, illæ, propriè, principaliter, & maximè ſubſtare, omnes tamen rem eandem ſignificant. Hic eſt enim mos à grauiſſimis ſcriptoribus vſurpatus, vt multis verbis eandem rem explicent, cùm rem definiunt, quæ difficilis eſt explicatu, vel nobilis admodum, atque præclara: vt vel illa congerie verborum, eius rei maieſtatem teſtentur, vel difficultatem adimant. Seruat hunc morem Ariſtoteles ſæpenumero: atque, vt rem exēplo doceam, capite ſecundo libri primi de poſt. reſolu. Quo loco demonſtrationem definiens, ita inquit: Demonſtratio eſt, quæ procedit ex primis, veris, & immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque cōcluſionis: Satis enim erat dicere, demōſtrationem procedere ex cauſis primis, medioq; vacātibus. Libro etiam ſecūdo de phiſica auſcultatione naturā definit principiū motus, & quietis eius in quo eſt per ſe, primò, & non ſecūdum accidens: atqui ſatis erat dicere, naturā eſſe principiū motus & quietis primò: eodem quoq; pacto cōtingit in definitione primæ ſubſtātiæ. Nō ſunt tamē omnino ſuperuacaneæ voces illæ, quæ in eius definitione exiſtunt, quinimo alicuius rei gratia in eadē finitione collocantur. Dicitur enim prima ſubſtantia primo ſubſtare, quia cætera omnia ad primā ſubſtātiam adhærēt: principaliter verò, aut propriè quia alia ſubſtinet ſine cuiuſpiam alterius adminiculo: nam accidētia nō propriè ſubſtant: ſecūdæ autē ſub-

*Tres voces rem ſignificant eandem.*

*Graues ſcriptores multis verbis eādem rē ſæpe explicant.*

*Exemplo rē demonſtrat.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſtantiæ propriè ſubſtant, ſed non principaliter, quia ſubſtant ratione primæ ſubſtantiæ. maximè ſubſtat prima ſubſtantia, quia pluribus ſubſtat, quam cætera: omnia enim alia à prima ſubſtãtia, aut in ipſa ſunt, aut dicuntur de ipſa. Boetius primam ſubſtãtiam propriè inquit ſubſtare, quia ſenſui primùm ſubijcitur, atque ex primarum ſubſtãtiarum noticia ſecundarum cognitio comparatur: principaliter, quia tametſi ſecundæ ſubſtãtiæ accidens ineſſe videatur, ineſt quidem ratione primæ ſubſtãtiæ: nam color in quodam corpore eſt, ſed quia quoddam corpus eſt corpus, color dicitur eſſe in corpore, vt apertè docet Ariſtoteles in ſermone de qualitate. Hæc ergo prima ſubſtantia ita definitur, neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur: priori parte definitionis diſtinguitur prima ſubſtãtia à quibuſcunque accidentibus, non vt quidã putat, ab indiuiduis tantùm: ratio eſt, quia accidens illud eſt, quod eſt in ſubiecto. poſteriori verò parte differt prima ſubſtãtia à ſecundis, quæ de ſubiecto dicuntur, hoc eſt, prædicãtur nomine, atque ratione de primis ſubſtantijs: ipſa enim prima ſubſtãtia meritò dicitur non eſſe in ſubiecto, nec dici de ſubiecto cùm omnia alia à prima ſubſtãtia, vt idem ſcribit Ariſt. aut ſint in ipſa, tãquàm in ſubiecto, aut de eadem dicantur.

Maximè ſubſtare.

Iſta verò definitione primæ ſubſtãtiæ non explicatur vlla ex ſubſtãtijs indiuiduis, vt Socrates, Plato: quia definitio non eſt rei ſingularis, atque indiuiduæ, ſed definitur quædam ratio communis omnibus indiuiduis ſubſtãtijs, quam Cicero Notionem ſingularis ſubſtantiæ vocat.

Obijciet tamen aliquis, iſtam nõ eſſe exactã definitionem primæ ſubſtãtiæ, ratio eſt, quia definitio negatione conſtare non debet, vt apertè docet Ariſt. c. iij. lib. vi. Topi. quia negatio non explicat naturam rei, definitio verò, oratio eſt ſignificãs quod quid erat eſſe, id eſt, naturã, atque ſubſtãtiam rei lib. I. Topi. Hæc dubitatio facilè adimitur, ſi intelligamus, iſtam non eſſe definitionem primæ ſubſtãtiæ, ſed deſcriptionem: Nihil autem prohibet deſcriptionem negatione conſtare. Quia verò prima ſubſtãtia deſcriptione explicãda erat, cùm nõ facilè ſuppetat definitio, rationi conſentaneum fuit, vt optimã, atque præſtã-

Obiectio

Dubitationis ſolutio.

Deſcriptio negatione conſtare põt.

præſtantiſsimam deſcriptionem primæ ſubſtãtiæ accommodaremus. Eſt autem huiuſmodi ea deſcriptio, quæ negatione efficitur, atq; conſtat. magnam enim conciliat dignitatem illi rei, quàm deſcriptione explanamus. Duo nanque genera rerum explicantur negatione, maximè in quã, præſtantes, & abiectæ, & viles maxime: Deum enim, & primam materiam ita deſcribimus: nam cùm ſit deus omnium, quæ cogitare mens noſtra poteſt, perfectiſsimus, eius vis, atque natura nullis aſſerentibus nominibus exprimi poteſt: Iniuriam nãque illi irrogat, vt Thomas inquit prima parte, qui Deũ anguſtis noſtris vocibus ſtudet concludere. Quare cogimur, quæ nouimus, omnia illi adimere, maius aliquid his omnibus illum eſſe dicentes, quod negatione potiſsimùm præſtamus. Apud Platonem Timæus à Socrate interrogatus, quid Deus eſſet, Reſpondit, Quid ſit deus non intellexi, quid non ſit optimè noui: nam neque corpus eſt, neque color, neque angelus, neque quidpiam his ſimile, ſed aliquid longe maius. Eodem genere deſcriptionis explicatur prima materia, omnium rerum infima, atque abiectiſsima, & quã Auguſtinus inquit eſſe propè nihil. Nam vix, imò ne vix quidem, voces aſſerentes reperias, quibus materiæ ignobilitatem poſsis exprimere: negatione ergo iure optimo explicabitur. Conſonum igitur rationi fuit, vt prima ſubſtantia, quæ præſtãtiſsima eſt, optima deſcriptione explicaretur: qualis proculdubio ea eſt, qua vtitur in præſentia Ariſtoteles.

*Deſcriptio per negationẽ.*

*Duo rerũ gñera deſcribuntur negatione.*

*Thomas.*

*Timæus.*

*Deus negatiõe explicatur.*

*Pria materia.*

*Auguſtinus.*

*Quæ excludãtur ab aſsignatione priæ ſubſtantiæ.*

Hinc collige primùm, quòd aſsignata definitio primæ ſubſtantiæ non ineſt intelligibilibus, aut ſpiritalibus ſubſtantijs: Ratio eſt, quia prima ſubſtantia non ſolùm ſubiectum eſt, ſed propriè, principaliter, & maximè ſubſtat, quod alienum eſt ab ingenio, atque natura intelligibilium ſubſtantiarum: inter quas refer animam rationalem à corpore abiunctam.

*1 Subſtantiæ ſpiritales non cõprehendunt iſta deſcriptione.*

Secundo colligitur, quòd intelligere quid ſit in ſubiecto eſſe, atque dici de ſubiecto, quæ in ante prædicamentis explanauimus, multùm conducit ad intelligendam finitionem primæ ſubſtantiæ.

Poſtquàm Ariſtoteles primam ſubſtantiam finitione complexus eſt, transſfert orationem ad ſecũdam ſubſtantiã, quam ille iſto pacto definit:

*2 Definitio ſecundæ ſubſtãtiæ*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*definit: Secundæ ſubſtantiæ ſunt ſpecies, quibus inſunt eæ, quæ principaliter ſubſtantiæ dicuntur, & harum ſpecierum genera, vt homo, atque animal. Vſus eſt autem Ariſt. cùm definit ſecundam ſubſtantiam, numero multitudinis, vt ſignificaret in ſecundis ſubſtātijs eſſe genera, atque ſpecies: Huius vtriuſque partis exhibuit exēplum. Ne tamen aliquis putaret omnia genera, atque ſpecies, ſecūdas eſſe ſubſtantias, ſubiungit, genera, & ſpecies, quibus inſunt quæ propriè dicuntur ſubſtantiæ, id eſt, primæ ſubſtantiæ. Ineſt vero prima ſubſtātia in ſecunda, & ſecunda in prima, ſed ratione diuerſa: nam prima ſubſtantia eſt in ſecunda, tanquam pars in toto, ſecūda eſt in prima, vt totum in parte, aut vniuerſale in particulari: quos modos attigimus paulò ſuperius.*

*Cur vtatur numero multitudinis.*

*Prīa ſubſtātia quō ſit in ſecūdis, & ſecūdæ in prima.*

Manifeſtum eſt autem ex his, quæ dicta ſunt, quoniam eorum, quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſt & nomen, & rationē de ſubiecto prędicari: vt homo de ſubiecto quodā homine dicitur, prædicatur etiā & nomen: hominē enim de quodam homine prædicabis: & ratio quoque hominis de quodā homine prædicabitur. quidam enim homo & homo eſt, & animal rationale, mortale: quare & nomen, & ratio de ſubiecto prædicabitur. Eorum verò quæ in ſubiecto ſunt, in plurimis quidem neque nomen, neque ratio prædicabitur de ſubiecto: in aliquibus autē nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de ſubiecto, rationem verò impoſsibile eſt prędicari: vt album cùm in ſubiecto ſit corpore, prædicatur de ſubiecto, dicitur enim corpus album: ratio verò albi nunquàm de corpore prædicabitur. Alia verò omnia aut de ſubiectis dicuntur primis ſubſtātiis, aut in ſubiectis eis ſunt. Hoc autem manifeſtum eſt ex iis quæ per ſingula proponuntur: vt animal de homine prædicatur, ergo & de quodam homine animal prædicabitur. Nam ſi de nullo quorundam hominum, neque omnino de homine. Rufus color in corpore eſt, ergo & in quodam corpore. Nam ſi non in aliquo eſſet ſingulorum, nec omnino in corpore: quare alia omnia aut de ſubiectis primis dicuntur ſubſtantiis, aut in ſubiectis eiſdem ſunt. Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantiis, impoſsibile eſt aliquid aliorum eſſe. Omnia enim alia aut prædicantur de eis, aut in ſubiectis eis ſunt: quare non exiſtentibus primis ſubſtantiis, impoſsibile eſt aliorum aliquid eſſe.

Hactenus

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Hactenus Ariſtoteles primam, atque ſecundam ſubſtãtiam definiuit, nunc verò cauſam reddit, atque rationem, cur prima ſubſtantia primò, propriè, & maximè dicatur ſubſtantia. Ratio verò illa eſt, quia indiuidua ſubſtantia cætera omnia antecedit, cùm ſit rerũ omnium fundamentum: Omnia enim alia aut prædicãtur de primis ſubſtantijs, vt vniuerſales ſubſtantiæ, aut in primis ſubſtantijs ſunt, tanquàm in ſubiectis, vt accidentia. Verùm quoniam id probare aliquo pacto arduum, atque difficile eſt, ad faciendam eius rei fidem, Ratione vtitur Ariſtoteles, quæ eſt ab eodem multis ſanè verbis explicata: nos, vt illam ſumamus, pauca quædam lectorem admonere prius operepræcium putamus: vnum eſt, quòd, cùm oculo cernamus indiuidua accidentia, vt hunc candorem, illum nigrorem, præterea accidẽtium ſpecies, nempe cãdorem, & nigrorem (vulgò enim dicimus candorem eſſe in pariete, aut nigrorem) Ariſtoteles iſtorum accidentiũ exemplo, quæ dubium nõ eſt in primis ineſſe ſubſtantijs, nõ eſt vſus, neque ratione vlla probat hæc ipſa ineſſe in primis ſubſtantijs: ſed tã tùm genera accidẽtium, vt colorem, atque id genus alia. Deinde etiã genera ſubſtantiarum demonſtrat exiſtere in prima ſubſtantia, & de illa prædicari: id vt commodius efficiat, illud aſſumit Ariſt. quod tertio capite antepradicamentorum dictum eſt, Videlicet, quòd dici de ſubiecto, eſt nomine, & ratione de altero prædicari: quod ſi verum eſt, quæ de ipſo prædicato dicuntur, dicentur etiam de ſubiecto ſecundum nomen, & rationem.* 1

*Accipit ſecundo, quòd quæ ſunt in ſubiecto, vel nomẽ tantùm ſubiecto tribuunt, nõ definitionem, vel neq; nomen tribuunt, neque rationem: verbi gratia cãdor cùm accidens ſit, atq; in ſubiecto exiſtat, nomẽ ſuum ſubiecto tribuit, appellat enim candidum, rationem verò nequaq̃: nam corpus, in quo, vt in ſubiecto ineſt cãdor, nõ dicitur viſum diſsipare, quæ eſt ratio cãdidi, aut cãdoris potius. Aliquod verò accidens neq; nomẽ tribuit ſubiecto, neque rationẽ: nam Virtus, exẽpli gratia, cùm in homine inſit, nõ appellat hominẽ virtuoſum, ſed ſtudioſus, à virtute vocatur: Rationẽ verò ſuã nullo modo dat homini: ea eſt habitus electiuus in mediocritate cõſiſtens, prout ſapiẽti viſum* 2

*Cur priã ſubſtãtia propriè, principaliter, & maximè dicatur ſubſtare.*

*Indiuiduorũ accidẽtium aut formarũ exemplo nõ vtitur.*

*Duo accipit Ariſt.*

*Ratio cãdoris eſt diſsipare viſum.*

*Virtus.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſit. His duobus poſitis fundamẽtis, demõſtrat Ariſt. genera ſubſtantiæ eſſe in prima ſubſtãtia: hoc facit accipiens pro medio ſpecies, atq; formas ſubſtãtiæ, quas in prima ſubſtãtia eſſe nullus negat. Ratio hoc modo explicatur. Quãdo alterũ de altero dicitur, vt de ſubiecto, hoc eſt, nomine, & ratione, quæcũq; de prædicato dicũtur, dicuntur etiã de ſubiecto, ſed de indiuidua ſubſtãtia dicitur ſpecies ſubſtantiæ, tanquàm de ſubiecto, vt homo de Socrate, & de ſpecie ſubſtantiæ prædicatur genus tãquàm de ſubiecto, vt animal de homine, ergo genus ſubſtantiæ de prima ſubſtantia dicetur hoc modo, Socrates eſt homo, homo eſt animal, ergo Socrates eſt animal. Quare manifeſtè cõſtat, genericas ſubſtantias, quæ omnes ſecundæ dicuntur, de prima ſubſtantia prædicari. Facit deinde demonſtrationem in generibus accidentium, ſiquidem dubium non eſt, indiuidua accidentia, atque etiã ſpecies, ſub quibus proximè indiuidua continentur, in prima eſſe ſubſtantia. Ratio verò ſic nectitur: Color in corpore eſt, ſed corpus eſt in peculiaribus corporibus, aut indiuiduis, ergo & color: meritò ergo indiuidua ſubſtantia, prima ſubſtantia dicitur, & præterea propriè, & principaliter, & maximè dicitur: cùm apertè conſtet, omnia alia à prima ſubſtantia (quod initio huius diſputationis perſuadere ſtudebamus) aut eſſe in prima ſubſtantia, tanquàm in ſubiecto, aut de prima ſubſtantia dici: quare ſublata de medio prima ſubſtantia, neceſſarium eſt, cætera omnia ſtatim aboleri.

*Gña ſubſtãtiæ eſſe in priã ſubſtãtia ꝓbatur. Ratio.*

*In generibus accidentiũ facit demõſtrationẽ. Ratio.*

Dicet aliquis quo pacto verum eſt, genera, atque ſpecies ſubſtantiæ prædicari de prima ſubſtantia, ſi genus, atque ſpecies ſubſtantiæ nihil omnino ſunt præter primam ſubſtantiã, & nihil de ſeipſo prædicetur? Ad hoc dicendum eſt, quòd tametſi id verum ſit, optime quidem prædicantur accidentia, & ſecundæ ſubſtantiæ de prima, nõ vt ſunt idem re cum eadem, ſed vt diuerſa ſunt ab ea, ratione, & cogitatione animi: cùm enim vniuerſalia de prima ſubſtantia prædicari dicimus, tertio modo accipimus vniuerſale: nam de rebus ipſis notionem illam, & conceptum illum prædicamus, quem de eiſdem habemus: ſublatis autem primis ſubſtantijs, notiones illas auferri neceſſarium eſt, ſunt enim prorſus inanes.

*Obiectio.*

*Solutio. Qua ratiõe ſubſtantiæ ſecũdæ prædicentur de priã.*

Secundo

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Secũdo videtur falſum eſſe, quod Ariſt. inquit, Deſtructis primis ſubſtãtijs, impoßibile eſt aliquid aliorum remanere: primùm teſtimonio Porphirij in communibus, & differentijs quinque vocum, quo loco ait: Sublatis ſingulis hominibus, hominẽ adhuc ſupereſſe: & animal corruptis ſingulis animalibus: Deinde ſecunda ſubſtantiæ perpetuæ ſunt, primæ verò corrumpuntur, ergo nihil vetat, ſecundas ſubſtantias manere corruptis primis: antecedẽs patet, quia perpetuò fuit homo, atque animal, nullus tamẽ perpetuò fuit hominum ſingulorũ, aut animalium. Quidam ita putant, hominem, atque animal, verbi gratia & ceteras ſecundas ſubſtantias nunquàm corrumpi, ſed perpetuò manere, etiam corruptis primis: errant tamen, mea ſententia, & pugnant cum opinione Ariſtotelis, vt latè deducit Alexander in quæſtionibus. Hoc enim differt Ariſt. à Platone, vt nos explicuimus commentario in prohæmium Porphirij, quòd Plato ponit ſecundas ſubſtantias ſeparatas à primis, ipſum, inquam, per ſe hominem, & per ſe animal, quas collocat in diuina mẽte, & perpetuas arbitratur Ariſtoteles huiuſmodi vniuerſale negat, & ſolùm conſtituit vniuerſale in rebus ſingulis, quibus corruptis nulla ſupereſt ſecunda ſubſtantia. Imò verò quantum intelligo, Ariſtoteles his verbis Platonis ſententiam reprehendit: Iſtam autem propoſitionem, homo eſt animal, atque ſimiles, veram putat, quia mundum perpetuum facit, & rerũ generationes æternas: quare & primas ſubſtantias, in quibus ſecundæ verſantur, atque exiſtunt. Illud poſtremò, quod ex Porphirio obijcitur, noſtram ſententiã non euertit: nam Porphirius ſolùm inquit, Homine corrupto, verbi gratia non ſuper eſſe amplius quẽpiam ſingulorum hominum, corrupto verò aliquo peculiarium hominum, nõ oportere, vt homo corrumpatur.*

*Obiectio ſecunda. 1 2 Carpit quẽdam. Alexander ĩ quæſtionibus moralib⁹ & naturalibus. Qua ratiõe dicat Ariſt. homo eſt animal ꝑpetuò verum. Porphirius.*

*Cùm Ariſtoteles inquit, Neceſſe eſt nomen, & rationem de ſubiecto prædicari, rationem vſurpat pro definitione rei, aut deſcriptione. Nam eorum quæ dicuntur de ſubiecto, quædam dicuntur ſecundum definitionem, genera, inquàm, atque ſpecies, quædam verò ſecũdum deſcriptionem, nam definitionem non habent. Huiuſmodi ſunt differentiæ.*

*Quo ſenſu rationem accipiat hoc loco Ariſtoteles.*

Secundò. Rationale ꝓpria hominis differentia nõ eſt. Tertiò.

*Secundò aduerte, quòd Ariſtoteles non putat Rationale eſſe proprium differentiam hominis, ſed ex rationali, & mortali, vnam confici differentiam: Cùm dicat hominis finitionem eſſe, Animal rationale, mortale.*

*Tertiò cùm inquit, Ratio verò Albi nunquàm de corpore prædicabitur, non dicit, quænam ſit eius ratio, quia facile eſt illam accipere: quæcunque verò ſit, corpori nulla ratione accommodatur.*

Secundarum verò ſubſtantiarum, magis ſubſtantia eſt ſpecies, quàm genus, Propinquior enim eſt primę ſubſtantiæ: ſi quis enim aſsignet primam ſubſtantiam quid eſt, euidentius: & conuenientius aſsignabit ſpeciem præferens, quàm genus: vt quendam hominem aſsignans, manifeſtius aſsignabit hominem, quàm animal aſsignando. Illud enim proprium magis cuiuſdam hominis, hoc autem communius. Et cùm quandam arborem aſsignauerit, manifeſtius aſsignabit arborem aſsignando quàm plantam. Amplius: Primæ ſubſtantiæ ideo quòd aliis omnibus ſubiiciũtur, & omnia alia vel de ipſis prædicantur, vel in ipſis ſunt, propter hoc maximè ſubſtantiæ primæ dicuntur. Quemadmodum autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ſic & ſpecies ad genus ſe habet. Subiicitur enim ſpecies generi, genera enim de ſpeciebus prædicantur: ſpecies autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his manifeſtum eſt, ſpeciem magis genere ſubſtantiam eſſe.

*Poſtquàm Ariſtoteles docuit primam ſubſtantiam præſtantiſſimam eſſe, conuertit ſermonem ad ſecundas ſubſtantias: quæ quoniã diuerſæ ſunt, illas inter ſe confert: &, quæ quibus præſtantiores ſint, paucis docet. Atque ita inquit: Quòd cùm inter ſecũdas ſubſtantias ſint genera, atque ſpecies, non omnes illæ ſunt æqualiter ſubſtantiæ, imò verò magis ſubſtantia eſt ſpecies, quàm genus. Hoc probat duplici argumento: primum ſumit à propinquitate, alterum verò à proportione vel à ſimili. Primum ita explicatur: Quod magis, & propius accedit ad maximè tale, magis tale dicitur, ſed ſpecies ſubſtantiæ magis accedit ad primam ſubſtantiam, quæ eſt maximè ſubſtantia, quàm genus, ergo eſt magis ſubſtantia, quàm genus. Diſcurſus eſt legitimus, & maior manifeſta, minor autem propoſitio conſtat*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ex nomine primæ ſubſtãtiæ, & inductione ita probatur: Nam quærenti quid prima ſubſtantia ſit, familiarius, & propius per ſpeciem reſpondemus, quam genus: Nam ſi roganti quid Socrates ſit, animal eſſe dicamus, non ſignificamus mortalé ne animal ſit, an immortale, rationale, an irrationale: quam obrem ſupereſt illa quæſtio, Quodnam animal ſit: ſi vero hominem reſpondeamus, abundè quæſtioni propoſitæ ſatisfactum erit.*

*Secundum argumentum ita concluditur: Quemadmodum ſe habent ſecundæ ſubſtantiæ ad ea omnia, quæ præter ipſas ſunt, eodem modo ſe habent ſpecies ſubſtantiæ ad genera, ergo poſt primas ſubſtãtias, ſpecies ſubſtantiæ magis ſubſtãtiæ ſunt, quam genera. conſequẽtia legitima eſt, & antecedens manifeſtum, nam de formis ſubſtãtiæ genera ſubſtantiæ prædicantur, accidentia verò in eiſdem ſunt, tanquam in ſubiecto.*

*Obÿciet aliquis, Si ſpecies ſubſtantiæ eſt magis ſubſtantia, quàm genus, ſubſtantia ſuſcipit magis, & minus, quod eſt cõtra ſententiã Ariſtotelis paulò inferius. Verùm iſtã dubitationẽ facilè diluemus, quo loco Ariſt. inquit: Subſtãtiam neq; ſuſcipere magis, neq; minus.* Obiectio. Solutio.

Ipſarum verò ſpecierum, quæcunque non ſunt genera, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt. Nihil enim familiarius aſsignabis de quodam homine, hominem aſsignando, quàm de quodam equo, equum.

*In ordinibus prædicamentorũ ineſt latum, & profundum, vt inſinuauimus paulò ante hunc locũ: Eſt enim profundũ ab indiuiduis ad genus ſupremũ, latũ verò ab vna ſpecie in alterã, in quã idem genus diuiditur. Explicuit hactenus Ariſtoteles habitudinẽ, quæ in profundo ineſt, nũc verò alterã cõſiderat, atq; ita inquit: Vna ſpecies nõ eſt magis ſubſtãtia, q̃ altera, vt homo, q̃ equus. Hoc probat, quia æqualiter accedũt ſpecies ſubſtantiæ ad primã ſubſtãtiã: tam apte enim, & tam familiariter rogãti quid Bucephalus ſit, equũ eſſe dicimus, quàm hominẽ, interrogãti quid ſit Socrates. Accedit ad hoc, ꝙ non pluribus ſubſtat vna ſpecies, q̃ altera. Dixit Ariſt. id eſſe verũ in illis formis, quæ nõ ſunt genera, hoc eſt, infimis. Nam ſi altera ſit infimã ſpecies,* 1. Ratio. 2. Ratio. Quando hoc ſit verum.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*altera verò intermedia, proculdubio ſpecies infima magis erit ſpecies, quàm intermedia, ſicut ſpecies magis ſubſtãtia eſt quam genus. quæ ſimul ſpecies eſt, atq; genus: Huiuſmodi ſunt homo, atq; brutũ.*

Similiter autem & in primis ſubſtantiis, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt. Nihil enim magis quidam homo ſubſtãtia eſt, quàm quidam bos.

Cõparat primas ſubſtantios.

*His verbis comparat inter ſe ipſas primas ſubſtantias, atque inquit: Vnam primam ſubſtantiam non eſſe magis ſubſtãtiam altera: quod inductione tãtum demonſtrat: Quia quidam homo non eſt magis ſubſtantia, quam quidam bos: ratione autem probari poteſt, quia omnia alia, vel dicuntur æqualiter de quacunque prima ſubſtantia, vel exiſtunt in eadem, tanquam in ſubiecto. vna quidem prima ſubſtantia dignior eſt, atque præſtantior, quã altera, vt quidam homo, quàm quidam equus, at magis ſubſtantia non eſt, quia non eſt pluriũ ſubiectũ. qua ſignificatione cõſideramus ſubſtantiã in præſentia.*

Meritò autem poſt primas ſubſtantias, ſola aliorum omniũ ſpecies, & genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur: ſola enim hæc, eorum quæ prædicantur, primam ſubſtantiam indicunt. Quẽdam enim hominem ſi quis aſsignauerit quid ſit, ſpeciem quidem, quàm genus, aſsignando familiarius demõſtrabit, & manifeſtius faciet, hominem aſsignando, quàm animal. Aliorum verò omnium quicquid aſsignauerit quis, aſsignabit extraneè, velut album, aut currit, aut aliud quodcunque talium aſsignans: quare meritò hæ ſolæ aliorum ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. Amplius: Primæ ſubſtãtiæ eò quòd aliis omnibus ſubiiciuntur, & omnia alia de ipſis prædicantur, vel in ipſis ſunt, propriiſsimè ſubſtantiæ dicuntur. Sicut autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ita genera, & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia ſe habent: de his enim reliqua omnia prædicantur: quẽdam enim hominem dices grammaticum eſſe, ergo & hominem, & animal grammaticum dices. Similiter autem & in aliis.

*Hoc loco, atque his verbis, aiunt quidam Ariſtotelem rationem reddere, cur ſecundæ ſubſtantiæ, ſubſtantiæ vocẽtur errant tamẽ, vt planè cõſtare poſsit, primùm ex ipſius orationis cõtextu, deinde, quia nulla ratio quærenda eſt, cur ſecundæ ſubſtantiæ dicantur ſubſtãtiæ:*

*Nam*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Nam qui ſecundas dicit ſubſtantias, ſubſtantiam accipit. Reddit autem rationem, cur genera, atque ſpecies ſubſtantiæ, ſecundæ ſubſtantiæ vocentur, cætera minimè. Duplex autem huius rei cauſa eſt, vna ſumitur ex re illa, quam genera, atque ſpecies ſubſtantiæ ſignificant: Nam hæc ſola ſignificant ſubſtãtiam, cætera extraneum ſubſtantiæ ſignificant. Conſtat hoc ex modo reſpõdendi: nam interroganti quid Socrates ſit, hominem, aut animal dicimus, tametſi familiarius hominem reſpõdeamus, quàm animal. album verò, aut nigrum, aut horum ſimile, parùm aptè reſpondemus. Altera cauſa eſt, quia poſt primam ſubſtantiam, hæc ipſa omnibus ſubſtant accidentibus, ergo me-*
*ritò ſecundæ ſubſtantiæ vocantur, hoc eſt, ſubſtantiæ appellantur* 1
*poſt primam ſubſtantiam.* 2

*Cur genera, & ſpecies ſubſtãtiæ, ſecundæ dicãtur ſubſtantiæ.*

Quendam enim hominem dices grammaticum eſſe, ergo & hominem, & animal grammaticum dices. Similiter autem & in aliis.

*His verbis probat accidentia eſſe in ſecundis ſubſtãtijs, tanquàm in ſubiecto, & accipit pro medio ipſam primam ſubſtantiam: quia enim accidens eſt in prima ſubſtãtia, tanquàm in primo ſubiecto, & ſecunda ſubſtantia, ſubſtantia eſt, dicitur accidens ineſſe in ſecunda ſubſtantia. Eodem argumẽto vſus eſt paulò ſuperius, cùm demonſtraret ſubſtantiam indiuiduam, primam eſſe ſubſtantiam: eodem vtitur in capite de qualitate, atque alijs multis locis.*

*Probat accidẽtia ĩ ſecundis eſſe ſubſtantijs.*

*Accipit ꝑ medio primam ſubſtãtiã*

Commune autem omni ſubſtantiæ eſt, in ſubiecto non eſſe. Prima nanq; ſubſtãtia, nec in ſubiecto eſt nec de ſubiecto aliquo dicitur. Secundarũ verò ſubſtantiarũ cõſtat quidẽ etiã ſic, quia nulla eſt in ſubiecto. Homo enim de ſubiecto quidẽ homine quodam dicitur, in ſubiecto verò nullo eſt, neq; enim in quodã homine homo eſt: ſimiliter autẽ & animal de ſubiecto quidem dicitur quodã homine, non etiam eſt animal in quodam homine. Ampliùs: Eorum, quę in ſubiecto ſunt, nomẽ quidem de ſubiecto aliquãdo nihil prohibet prædicari, rationem verò impoſsibile eſt: ſecundarum verò ſubſtantiarum de ſubiecto ratio prædicatur, & nomen: rationem enim hominis de quodam homine prædicabis: & animalis ſimiliter. Quare non erit eorum ſubſtãtia, quæ ſunt in ſubiecto. Non eſt autem proprium ſubſtantiæ hoc, ſed & differentia eorum eſt, quæ non ſunt in ſubiecto. Bipes enim, & greſsibile de ſubiecto quidem quodã homine dicitur, in ſubiecto verò nullo



(c) 2007 Ministerio de Cultura

eſt: neque enim in homine eſt bipes, neque greſsibile: ratio quoq; differentię de illo prædicatur, de quocunque ipſa differentia dicitur. Velut ſi greſsibile de homine prædicatur, & ratio greſsibilis de homine prædicabitur: eſt enim homo greſsibilis.

*Propriũ ſubſtãtiæ inquirit, quò illa agnoſcatur, & diſtinguatur à cæteris.*

*Propriũ accedit ad definitionem.*

*Oſtendit dignitatem primæ ſubſtantiæ, comparauit etiam ipſas ſubſtantias, tam primas, quàm ſecundas, inter ſe, & quæ omnium præſtantiſsima eſſet, locuplete oratione docuit: pergit iam explicare naturam ipſius ſubſtantiæ, id eſt, docere quid ſubſtãtia ſit. Id autem quoniam definitione explicari non poteſt, quia ſupremum genus definitionem non habet, proprium ſubſtantiæ inquirit, quoniam hoc ipſum magnam habet affinitatem cum definitione: nam omni, & ſoli, & ſemper conuenit vtrunque, & præterea ſciendi gratia inuentum eſt: quæ vna res in cauſa eſt, cur vtrunque Ariſtoteles proprij nomine complexus ſit primo Topico. Verùm cùm varij variè ſenſerint de proprio in commune, vt in ſermone de proprio dictum à nobis eſt, eſt enim proprium quod omni conuenit, non ſoli. quod ſoli, non omni. quod omni, & ſoli. & præterea de proprio ſubſtantiæ. Ariſtoteles de ea re numerat prius antiquorum ſententias, vt commodius, atque aptius in proprij cognitionem perducatur. Illa verò, quæ à quibuſdam propria ſubſtantiæ putabantur, docet Ariſtoteles communia eſſe ſubſtantiæ cum alijs, & non omnino propria, atque ita à communibus ad proprium orationem perducit. In primis verò commune eſſe inquit omni ſubſtantiæ, ſiue prima illa ſit, ſiue ſecunda, non eſſe in ſubiecto. Quòd autem prima ſubſtantia in ſubiecto non ſit, Ariſtoteles demonſtrat, ſumpto argumento ab eius finitione, prima enim ſubſtantia, vt initio huius capitis inquit Ariſtoteles, ea eſt, quæ, neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto eſt. Quòd autem ſecunda ſubſtantia non ſit in ſubiecto, probat Ariſtoteles ſumpto argumento à repugnantibus. Hoc modo, quod dicitur de ſubiecto, non eſt in ſubiecto, ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur de ſubiecto, ergo non ſunt in ſubiecto. conſequentia legitima eſt, & minor manifeſta ex definitione ſecundarum ſubſtantiarum: maior probatur, quia quod dicitur de ſubiecto, prædicatur nomine, & ratione de*

ipſo

(c) 2007 Ministerio de Cultura

ipſo ſubiecto, vt oſtenſum eſt prius, ſed quod eſt in ſubiecto, non poteſt prædicari nomine, & ratione de ſubiecto, in quo eſt, ſed vel nomine tantùm, vel neque nomine, neque ratione, vt dixit Ariſtoteles paulò ſuperius, ergo quod dicitur de ſubiecto, nullo modo eſt in ſubiecto, atque ex conſequenti ſecundæ ſubſtantiæ nõ ſunt in ſubiecto.

Eandem rem probat etiam Ariſto. inductione, dicẽs: Homo enim de ſubiecto quodam homine dicitur, in ſubiecto verò nullo eſt. hoc probat, quia ſi in aliquo eſſet, vt in ſubiecto, maximè eſſet in quodã homine, atqui non eſt in quodam homine, vt in ſubiecto, ſed vt eius pars, quod verò eſt in ſubiecto, eſt in alio, non ſicut pars, vt ex definitione conſtat eius, quod eſt in ſubiecto.

Non eſt hoc proprium ſubſtantiæ, nam præter ſubſtantias, differentijs quoque ipſarum ineſt: exemplo hoc patet: quia greſſibile, & bipes, quæ ſunt differentiæ ſubſtantiæ, nomine, & ratione de ſubſtantia dicuntur, non ſunt ergo in ſubiecto, ſi quidem dicuntur de ſubiecto.

Exiſtit hoc loco quæſtio, vtrùm differentia ſubſtantiæ, ſit appellanda ſubſtantia Ariſtoteles videtur in præſentia ſignificare nobis differentiam ſubſtantiæ, non eſſe ſubſtantiam: cùm dicat, Non eſſe in ſubiecto, non tantùm conuenire ſubſtantijs, ſed etiam differentijs ipſarum ſubſtantiarum. Verùm quòd differentia ſubſtantiæ, ſubſtantia ſit, his argumentis perſuadetur: primum eſt, quia prædicari de ſubiecto, maximè proprium eſt ſecundarum ſubſtantiarum, hoc autem ineſt differentijs, vt Ariſtoteles refert hoc loco, ſunt ergo ſubſtantiæ: deinde inter ſubſtantiam, atque accidens nihil medium eſt, ſed differentiæ ſubſtantiæ non ſunt accidentia, ergo ſunt ſubſtantiæ. conſequentia euidens eſt, & maior aperta: minor probatur, tum quia accidens eſt in ſubiecto, differentia ſubſtantiæ non eſt in ſubiecto, ſed dicitur de ſubiecto. Tum etiam quia partium, & totius eadem ratio eſt, ſed compoſitum ex differentia ſubſtantiæ, & materia, aut genere, ſubſtantia eſt, ergo & utraque ſubſtãtiæ pars: non enim poteſt fieri ſubſtantia ex non ſubſtantijs.

*Vtrũ differentia ſubſtãtiæ ſit appellãda ſubſtantia.*
*Primũ argumẽtũ.*
*Secundũ.*
1
2

Vt hanc dubitationem diſſoluerent quidam veterum enarra-



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Tria differẽtiarũ genera apud quoſdam antiquos.*

*Primum genus.*

*Secundũ.*

*Tertiũ.*

*torum Ariſtotelis, dixerunt Tria eſſe genera differentiarum: quædã enim differentiæ ſunt, quæ magis pertinent ad ſubſtãtiam, quàm ad accidens, vt rationale, atque mortale, quæ ſunt hominis differentiæ, & præterea in quale quid prædicantur, quod aliqua ratione pertinet ad naturam accidentis. Aliæ differentiæ magis pertinent ad accidẽs, quàm ad ſubſtantiam, vt candor in cygno, nigror in coruo, vtrũque enim iſtorum quodammodo ſubſtantia eſt eius, in quo eſt, cùm ab eo re ipſa ſeparari non poſsit, verius tamen accidens eſt, quia ſine vlla iniuria ſubiecti, ab eo cogitatione dimoueri poteſt. Aliæ tãdem ſunt mediæ differentiæ, quæ equaliter diſtant à ſubſtantia, atque accidẽti: huiuſmodi ſunt qualitates elemẽtorum, ipſa enim materia prima natura ſua incorporea eſt, figura vacat, atque ab omni qualitate eſt immunis, cùm ſit fundamentum omnium formarum, tam ſubſtãtialium: quàm accidentariarum. Illa igitur poſtquàm triplicem dimenſionem ſuſcepit, lõgum videlicet, latum, atque profundum, corpus efficitur de prædicamento quantitatis, ſed tunc temporis cenſetur vacare omni qualitate, quæ in ſubſtantia eſt ratione quantitatis. Qualitas igitur corpori adueniens ſi calida, & ſicca ſit, ignem facit. ſi calida, & humida, aërem. ſi humida, & frigida, aquam. ſi frigida, & ſicca, terram: non quòd diuerſis temporibus hæc ſuſcipiat materia, ſed quòd ſi hæc ſucceſsione quadam cõparanda eſſent, explicata ratione compararẽtur. Itaque aiunt iſti autores huiuſmodi qualitates elementarias, medias quaſdam differentias eſſe: Nam quia corpori adueniunt tribus dimenſionibus infecto, accidentia putantur, quia verò quodã modo perficiunt, atq; abſoluunt ſubſtantias elementorũ ſubſtãtiæ dicuntnr, & ipſorum differẽtiæ ſubſtãtiales putãtur: nam præter iſtas, nullas alias differentias agnoſcimus, quas elementis tribuamus: Cùm ergo (vt oſtendimus) tria ſint genera differentiarum, iſti autores arbitrantur, Ariſtotelis ſententiam de differentijs, hoc loco referẽdam eſſe ad medias differentias: nam primas inter ſubſtãtias collocant, reliquas inter accidentia.*

*Qualitatibus quomodo elemẽta efficiantur.*

*Elemẽtorum qualitates.*

*Refellit antiqorũ opinionẽ.*

*1. Ratio.*

*Iſtorum tamen autorũ ſententia mihi nõ probatur, & refelli exiguo negocio poteſt, maxime verò duplici argumento, vnum eſt, quia ſi Ari-*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ſi Ariſtoteles putaret eſſe aliquid medium inter ſubſtantias, & accidentia, exhibere debuit vndecimum prædicamẽtum, in quo medium iſtud collocaret: Sed quoniam nihil medium eſt inter ſubſtantiam, atque accidens, decem prædicamenta ſatis eſſe putauit. Alterum argumentum eſt, quia ſi illæ differentiæ pertinent ad eſſentiam elemẽtorum, proculdubio ſubſtantiæ erunt, quemadmodum elemẽta: nam ex non ſubſtantia, non fit ſubſtantia. Hæc etiã opinio apertè pugnat cum ſententia Ariſtotelis, qui præſenti loco exemplo vtitur greſſibilis, atque bipedis, quæ ſunt differentiæ primi generis, non mediæ. Quare tentandum eſt, aliam rationem inuenire, qua propoſitam dubitationem diluamus. Hoc facile efficiemus, ſi reuocemus in memoriam illud documentum, quod ex Ariſtotelis opinione, initio diſputationis de ſubſtantia tradidimus. Illud eſt, quod in præſentia Ariſtoteles ſolùm vocat ſubſtantiam, illam, quæ cognita eſt: ignotam verò ſubſtantiam, etiam ſi re vera ſubſtantia ſit, in hac introductione dialectica non connumerat inter ſubſtantias, neq; illam reponit in prædicamento ſubſtantiæ. Quemadmodum puncta, momentum, & vnitatem nõ ponit in prædicamẽto quantitatis, quòd vulgo ignota ſint. Ergo dum negat Ariſtoteles, differentiam eſſe ſubſtãtiam, more vulgi loquitur. Ratio verò probat re vera ſubſtantiam eſſe. In hac noſtra opinione ſunt Hamonius, Simplicius, Porphirius, Dexippus. Siquis autem obijciat, vulgò cognitas eſſe differentias, cùm hominem Rationalem, & mortalem paſsim appellemus, huiuſmodi obiectioni hac ratione occurremus: Apud vulgus quidem non haberi ſermonem de his, tãquàm de diuerſis vllo modo ab ipſo homine, ſed quaſi illæ idem omnino cum homine ſint: Nos verò illas vt diuerſas à ſubſtãtia contemplamur.*

*Inter ſubſtãtiã, & accidens nihil eſt medium.*
*2. Ratio.*
*Tertia.*
*Soluitur dubitatio.*
*Hamoni⁹ Sĩplici⁹. Porphirius. Dexipp⁹*

*Hæc vbi dixit Ariſt. vtitur quadam præoccupatione poſſet quiſpiam putare partes ſubſtantiæ eſſe in ſubiecto, quia ſunt in ſubſtantia: quare, vt hanc dubitationem adimat, inquit:*

Non verò cõturbent nos ſubſtantiarum partes, quæ ita ſunt in toto, quaſi in ſubiecto ſint: ne fortè cogamur eas non eſſe ſubſtãtias confiteri: nõ enim ſic in ſubiecto eſſe dicebantur, quaſi partes eſſent.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Quaſi dicat, non oportere nos de hac re nimium eſſe ſolicitos, ſi quidem non ſatis eſt, vt aliquid ſit in ſubiecto, quòd ſit in alio, ſed prætereà neceſſarium eſt, vt ſit in alio, non ſicut eius pars, quod ex definitione conſtat eius, quod eſt in ſubiecto: partes ergo ſubſtantiæ non ſunt in ſubſtantia, vt in ſubiecto.*

Dubitatio quarũ partium mentionẽ faciat Ariſtoteles eis verbis

*Dubium tamen eſt, quarum partium mentionem faciat Ariſto. nunquid partium eſſentialium, aut ſubſtantialium, quæ ad faciendã definitionem rei pertinent. an potius ſenſibiliũ, quæ integrãtes vocãtur? Aiunt quidam, hoc loco haberi orationem de priori partium genere: in eam verò ſententiam eo argumento adducuntur, quia cùm dixiſſet Ariſt. Non eſſe proprium ſubſtãtiæ non eſſe in ſubiecto, ſed etiam differentiarum ipſius ſubſtantiæ, ne quiſpiam ex huiuſmodi verbis, anſam ſumeret cogitandi differẽtias ſubſtantiæ, non eſſe ſubſtantias, Ariſto. eximit animis ſcrupulum, dicens: Non vos conturbent ſubſtantiarum partes. &c.*

Opinio aliorũ.

Propria ſentẽtia.

*Mihi verò ita videtur: ſermonẽ eſſe in præſentia de poſteriorum partium genere, vt generalis ſit, atque perfectus. Cùm enim dixiſſet, neque primas, neque ſecundas ſubſtantias, neque etiam differentias ſubſtantiæ, eſſe in ſubiecto, reſtabant partes integrantes, & iſtas inquit non eſſe in ſubſtantia, tanquàm in ſubiecto: Has enim ſenſibiles partes, omnes cenſent partes eſſe ſubſtantiæ: atque ideo non recuſat Ariſto. apertè illas ſubſtantias appellare: Huiuſmodi ſunt manus, pes, caput: idem facit in capite de his quæ ſunt ad aliquid, ducens autores prioris definitionis ad illud abſurdum, vt fateantur communes partes ſubſtantiæ, vt manum, caput, eſſe ad aliquid.*

Carpit quendã.

*Neque enim audiendus eſt, qui inquit iſtas partes ſubſtantiæ, neque definitione primæ, neque ſecundæ ſubſtantiæ comprehendi: quoniam vtraque definitione, vt iſtis autoribus videtur, ea tantùm definiuntur, quæ rectè in categorijs exiſtunt. Sed non vident huiuſmodi partes integrantes, ſubſtantias eſſe, & more integræ ſubſtantiæ, ex materia, atque forma compoſitas, & ob eam rem rectè collocari in prædicamentis.*

Inter partes ſubſtãtiæ quædam primæ ſunt, aliæ verò ſecundæ.

*Inter eas verò reperiuntur primæ, atque ſecundæ ſubſtantiæ: nam manus, verbi gratia, pes, & caput ſpecies ſunt, & ſecundæ ſubſtantiæ: hæc manus, hic pes, pri-*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*mæ ſubſtantiæ ſunt, quia neque de ſubiecto dicuntur, neque in ſubiecto ſunt.*

Ineſt autem ſubſtantiis, & differentiis omnia vniuocè prædicari. Omnia enim quæ ab his prædicata ſumuntur, aut de indiuiduis prædicantur, aut de ſpeciebus: à prima nanque ſubſtantia nulla eſt prædicatio, de nullo enim ſubiecto dicitur. Secundarum verò ſubſtantiarum ſpecies quidem de indiuiduo prædicatur, genus verò & de ſpecie, & de indiuiduo. Similiter autem & differentiæ, & de ſpeciebus, & de indiuiduis prædicantur: & rationem quoque ſuſcipiunt primæ ſubſtantiæ ſpecierum, & generum, & ſpecies generis. Quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de ſubiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum ſuſcipiunt ſpecies, & indiuidua. Vniuoca autem ſunt, quorum & nomen commune eſt, & ratio eadem: quare omnia, quæ à ſubſtantiis, & differentiis ſunt, vniuocè prædicantur.

*Tradit Ariſto. aliud commune ſubſtantiarum, quod ad differentias quoque ſubſtantiæ pertinet, illud eſt, quod ſubſtantiæ & differentiæ prædicantur vniuocè. Argumentum ſumit à definitione vniuocorum, quam explicuit initio antepredicamentorum. Argumentum verò hoc modo concluditur: vniuocè prædicari, eſt nomine, & ratione prædicari, ſubſtantiæ, atque earum differentiæ prædicantur nomine, & ratione, ergo prædicantur vniuocè. Ratiocinatio legitima eſt, & maior probatur argumento ſumpto à coniugatis, vniuoca ſunt, quæ habent idem nomen, atque rationem, ergo vniuocè prædicari, eſt nomine, & ratione prædicari. Minoris propoſitionis vt Ariſto. fidem faciat, admonet iſtam ſententiam non pertinere ad primam ſubſtantiam, quia prima ſubſtantia non prædicatur: illa enim de nullo ſubiecto dicitur, vt ex eius conſtat finitione, præterea etiam cùm prima ſubſtantia nihil habeat ſubiectum, nullo modo prædicari poterit, præſertim prædicatione, quæ ſpectet ad cognitionem rerum comparandam: quia ſolùm prædicantur ſuperiora de inferioribus, aut æqua de æquis, vt Porphirius inquit in capite de ſpecie. Secũdæ verò ſubſtantiæ proculdubio nomine, & ratione prædicantur* *Syllogiſmus.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*de inferioribus, ſpecies quidē de indiuiduis, genus verò de formis, atq; ipſarum formarum indiuiduis, differentia autē de ſpecie, atque ipſius ſpeciei indiuiduis: Singula enim iſtorum nomen ſuum, atque etiam rationem, hoc eſt, definitionem, vel deſcriptionem rebus ſub ſe contētis tribuunt. obÿciet aliquis vniuerſa accidentia etiam prædicantur vniuocè, vt color de candore, candor de hoc cādore, ergo vniuocè prædicari nō ineſt tantū ſecundis ſubſtantÿs, ſed etiam accidētibus. Atqui Ariſt. non negat accidentibus conuenire prædicari vniuocè ſimpliciter, ſed prædicari vniuocè de ſubſtantia: hoc eſt proprium ſecundarum ſubſtantiarum, atque etiam differentiarum.*

*Obiectio*

*Solutio.*

Omnis autem ſubſtantia videtur hoc aliquid ſignificare, & in primis quidem ſubſtantiis indubitabile, & verum eſt, quoniam hoc aliquid ſignificant. Indiuiduum enim, & vnum numero eſt, quod ſignificatur. In ſecundis verò ſubſtantiis videtur quidem ſimiliter propter appellationis figuram hoc aliquid ſignificare, quando quis dixerit hominem, vel animal, non tamen verum eſt, ſed magis quale aliquid ſignificāt: neque enim vnum eſt quod ſubiectum eſt, quemadmodum primæ ſubſtantiæ, ſed de pluribus homo dicitur, & animal. Non autē ſimpliciter quale quid ſignificat, quemadmodum album: (nihil enim aliud ſignificat album: quàm qualitatem) at ſpecies, & genus circa ſubſtantiam qualitatem determinant, qualem enim quandam ſubſtantiā ſignificant: plus autem in genere determinatio fit, quàm in ſpecie: dicens enim animal, plus complectitur, quàm qui hominem.

*Transfert Ariſtoteles orationem ad explicādum aliud proprium ſubſtantiæ, tametſi illud non ſit verè proprium, neque enim ineſt omni ſubſtantiæ: inquit ergo, Omnis ſubſtantia videtur ſignifitare hoc aliquid. Iſtam ſententiam vt intelligamus, duæ voces prius nobis aperiendæ ſunt, quibus vtitur in præſentia Ariſt. vna eſt hoc aliquid, altera verò quale quid. Hoc aliquid eſt vnum numero, atque indiuiduum, vt Socrates, Bucephalus. Qualequid verò non eſt compoſitū ſubſtantiale ex genere, & differentia confuſis inter ſe, vt quidam interpretantur: quoniam ſi iſta ſententia vera eſſet, genus ſupremum, vt ſubſtantia, non poſſet appellari qualequid: neque enim ex genere, & differentia efficitur, vt alio loco à nobis monſtratum eſt, quod ſanè*

*Hoc aliquid.*

*Quale quid.*

*Carpit quendā.*

1

2

(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſanè falſum eſt. Deinde cùm prima ſubſtantia conſtet genere, & differentia, concedēdum nobis eſſet, primam etiam ſubſtantiam ſignificare quale quid, quod nullo pacto ferendum eſt. Quam obrem dicendum nobis eſt, quòd ſignificare quale quid, vel quale aliquid, eſt ſignificare qualitatem inexiſtentem in aliqua ſubſtantia definita atque certa. hæc ſi intelligamus planè conſtabit verum eſſe, quod Ariſto. ſcribit hoc loco. illud eſt, quòd omnis ſubſtantia videtur ſignificare hoc aliquid. Prima enim ſubſtantia proculdubio ſignificat hoc aliquid quia ſignificat vnum numero atque indiuiduum. Secunda etiam ſubſtantia videtur ſignificare hoc aliquid ſecundum figuram appellationis, id eſt ſecundum modum & rationem loquendi. nam primam ſubſtantiam ſolemus appellare nomine ſecundæ ſubſtantiæ. Socratem enim hominem dicimus & Bucephalum equum. quare omnis ſubſtantia videtur ſignificare hoc aliquid. Quanquam autem ſecundæ ſubſtantiæ videantur ſignificare hoc aliquid re vera non ſignificant hoc aliquid nam homo & animal, verbi gratia nō definitam quādam & vnam rem ſignificant: non enim magis Socratem quàm Platonem exprimit qui hominem dicit, ſed potius quale quid, id eſt qualitatem determinātem aut definientem ſubſtantiam. nam ſpecies, vt homo & genus vt animal, quandam qualitatem aut formam explicant exiſtentem in indiuiduis ſubſtantijs. licet iſta determinatio ſubſtantiæ amplior ſit atque etiam communior in genere quàm in ſpecie. Nam cum plura complectatur genus quàm ſpecies qualitate generis plures indiuiduæ ſubſtantiæ inſiciuntur, quàm ea qualitate quam ſpecies ſubſtantiæ ſignificat.

*Oīs ſubſtantia videtur ſignificare hoc aliquid. Secūdum figurā appellationis.*

Occurrit Ariſto. obiectioni, poſſet quiſpiam dicere ſi ſecūda ſubſtantia ſignificat quale quid ergo eadem ratio eiuſdem eſt atque etiā accidentis vniuerſalis, nam hæc ipſa ſignificāt quale quid vt album. Reſpondet Ariſt. non eſſe eandem rationem vtriuſque. nam album verbi gratia non ſignificat quale quid ſed tantum quale hoc eſt candore infectum. nō enim ſignificat nobis neque determinat quid illud ſit quod album dicitur. at ſecunda ſubſtantia qualitatem dicit & quid illud ſit in quo exiſtat ea qualitas definit, vt homo atque ani-

*Occurrit Ariſt. obiectioni.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*mal. ergo vtriuſque longe diuerſa ratio eſt.*

*Carpit quędam. Prima obſeruatio.*

*Animaduerte tamen primum quod Ariſto. non inquit (vt vulgo dicitur, album ſignificare ſolum qualitatem. Sed quale. ita enim ait* ὄυδ᾽ ἐν πὰρ σημαίνει ἄλλο τὸ λευτὸν, ἄλλα ἢ ποῖον, *nam album quale ſignificat non tamen definit quid illud quale ſit, homo né an equus an aliud quidpiam.*

*Secunda obſeruatio.*

*Animaduerte etiam quòd licet ſubſtantiæ res ſint, res autem potius ſignificentur quàm ſignificent cum inter rem & vocem rei tam magna inſit affinitas, quam magnam videmus interdum quod vocis proprium eſt rebus Ariſtoteles cōcedit. quia nonnunquàm voces rerum munere funguntur. vt cum Socratem ambulare dicimus. interdum autē res pro voce vſurpat, in præſentia ergo ipſa prima ſubſtātia hoc aliquid ſignificare dicitur & ſecūda ſubſtātia quale quid.*

*Subijcit quarto Ariſto. quod à quibuſdam proprium putatur, & eſt ſanè proprium quia ſoli ſubſtantiæ conuenit, licet non omnino. quia non ineſt ſoli ſubſtantiæ, illud eſt.*

Ineſt autem ſubſtantiis etiam nihil illis eſſe contrariū. Primæ enim ſubſtantiæ quid erit contrarium? Vt cuidam homini, vel cuidam animali, nihil eſt contrarium. At verò nec homini, nec animali aliquid eſt contrarium. Non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium, ſed etiam multorum aliorum, vt quantitatis: bicubito enim, vel tricubito nihil eſt cōtrarium: at verò nec decem: nec alicui talium: niſi fortè quis multum pauco dicat eſſe contrarium, vel magnum paruo. Determinatorum verò quantorum nullum vlli eſt contrarium.

*Iſtam ſententiam Ariſt. inductione tantum confirmat, nam neque primæ ſubſtantiæ neque ſecundæ aliquid poteſt contrarium reperiri. Hoc nō eſt proprium, inquit, ſubſtantiæ quia non ineſt ſoli ſubſtantiæ ſed etiam quantitati. nam bicubito, tricubito & cæteris huiuſmodi quātitatibus nihil eſt omnino quod cōtrarium poſſimus aſſignare. Sed quoniam poſſet quiſpiam obijcere quantitati eſſe aliquid contrarium vt magnum paruo, reſpondet Ariſt. ſaltem quantitati definitæ & certæ nihil eſſe contrarium. quod ſatis eſt vt doceamus atque etiam monſtremus non eſſe proprium ſubſtantiæ non habere contrarium.*

*Non eſt ſubſtātiæ propriū.*

*Occurrit obiectioni.*

*Contra*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Contra iſtam opinionem Ariſt. ſunt argumenta aliquot. primum eſt. elementa ſubſtātiæ ſunt & vnum alteri eſt contrarium. ignis videlicet aquæ & aer terræ. Deinde differentiæ ipſarum ſubſtantiarum, vt rationale & irrationale, mortale & immortale, ſubſtantiæ ſunt cum ſint partes ſubſtantiæ, atqui vulgo contrariæ putantur. Tertio. materia & forma primo phyſicorum cōtraria ſunt & tamē ſunt ſubſtantiæ. ergo aliquid eſt contrarium ſubſtantiæ.*

*Vt iſta argumenta diluamus conſiderādum nobis eſt cōtraria duobus modis accipi ab Ariſt. vno modo pro oppoſitis. quo ſenſu accipiēda eſt vulgaris illa ſententia contrariorum eadem eſt diſciplina. quo etiam ſenſu vniuerſa genera oppoſitorum à Cicerone in Topicis atq; alijs multis locis contraria vocātur vt aperiemus nos commētarijs in caput de oppoſitis. Alio modo contraria ſunt vna tantum forma atque ſpecies oppoſitorum quæ alio nomine aduerſa appellantur. nam cætera, contradicentia, priuantia & quæ cum aliquo conferuntur, appellari ſolent. ergo cum in præſentia Ariſtoteles inquit, Subſtātiæ nihil eſſe contrarium, contraria non pro oppoſitis vſurpat ſed pro aduerſis. horum verò vtrunque formam quandam ſignificat. Vt album nigrum calidum frigidum. conſtat autem aperte differentias non habere rationem contrariorum ſi oppoſitæ cenſeantur quia altera formam dicit altera priuationem aut ſi forma vtraque ſit non modo cōtrariam vnam alteri non eſſe ſed neque oppoſitam vlla ratione. forma præterea non eſt contraria materiæ ſed oppoſita priuatiue modo materiam conſideres vt forma vacat. elementa poſtremo quatenus ſubſtantiæ ſunt minime quidem contraria ſunt ſed per accidens, id eſt ratione primarum qualitatum quibus efficiuntur conſtantque.*

*ꝙ ſubſtātiæ ſit aliquid contrarium. Primū argumētū. Secundū. Tertiū.*

*Cōtraria bifariam ſumūtur. Cōtraria pro oppoſitis.*

*Cōtraria hoc eſt aduerſa.*

*Diluuntur argumenta. Forma nō eſt materiæ contraria. Elemēta quo ſenſu contraria dicātur.*

Videtur autem ſubſtantia non ſuſcipere magis & minus. Dico autem hoc non quòd ſubſtantia à ſubſtantia non ſit magis & minus ſubſtantia, hoc enim dictum eſt quia eſt: ſed quoniam vnaquæque ſubſtantia hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis & minus: vt ſi eſt hæc ſubſtantia, homo, non erit magis & minus homo, nec ipſe à ſeipſo, nec alter ab altero, non enim eſt alter altero magis homo, ſi-



(c) 2007 Ministerio de Cultura

cut eſt album alterum altero magis album, & bonum alterum altero magis bonũ: ſed & ipſum à ſe magis & minus dicitur: vt corpus cùm ſit album, magis nunc album eſſe dicetur, quàm prius: & cùm calidũ ſit, magis & minus calidum dicitur. Subſtantia verò non dicitur magis aut minus ſubſtantia: non enim homo magis nunc homo, quàm prius dicitur: neque aliorum quicquam quæ ſubſtantiæ ſunt: quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minus.

*Quinto loco recenſet Ariſto. quod à quibuſdam proprium dicitur non eſt tamen proprium: illud eſt. ſubſtãtia nõ ſuſcipit magis aut minus, hanc ſentẽtiam inductione tãtum probat atque exemplo vtriuſque ſubſtantiæ. Ratione etiam probatur, quia ſubſtantia cum nõ exiſtat in ſubiecto nõ habet gradus quorum ratione ſuſcipiat magis aut minus. eſt enim ſecũdum eſſentiam atq; diffinitionẽ indiuidua ipſa ſubſtantia. Deinde illa ſuſcipiunt magis aut minus quæ cõtraria ſunt & miſceri naturà poſſunt. vt album & nigrum. Magis enim talia ſunt quæ minus ſunt permixta cõtrarÿs, vt tertio topico. ſcribit Ariſto. huius rei ratio eſt quia cõtraria ſunt fines agentium magis verò & minus viæ ad contraria. vnde quæ cõtraria ſunt, per mutationem comparantur quæ cum tota ſimul non ſit ſed ſucceſſione quadam & quaſi per gradus magis & minus illa dicuntur. ipſa verò ſubſtantia quia ſubito fit, & ſine contrario eſt, & non eſt in ſubiecto magis & minus dici non poteſt. neceſſe eſt enim vt res magis & minus dicantur quod exiſtant in ſubiecto in quo commutationem aut alterationem ſuſcipiant, & contrarium habeant & miſceri inter ſe poſſint. Si quid autem iſtorum deſit non dicẽtur magis aut minus. vnde par & impar licet cætera habeant non ſuſcipiunt tamen magis aut minus quia nõ poſſunt miſceri. neque enim par eſt magis aut minus par aut impar, ergo cum ſubſtantiæ non ſint in ſubiecto ſed in ipſis ſint, atque in eodem ſemper termino perſtent, neque ſint cõtrariæ neque poſſint miſceri non dicentur magis aut minus ſuſcipere.*

*Collectio 1* · *2* · *Magis & min' cur non dicatur ſubſtantia.* · *Quib' ſit opus vt quidpiã dicatur magis & minus.*

*Obiectio.* *Dicet aliquis. elementa ſuſcipiunt magis aut minus Ariſtotele autore in libris de ortu atque interitu ergo ſubſtantia ſuſcipit magis aut minus. dicendum eſt quòd ſuſcipere magis aut minus nõ ineſt*

per ſe

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*per ſe elementis quemadmodum habere contrarium. ſed ratione primarum qualitatum quibus conſtant elementa.*

*Deinde inſtabit aliquis. Ariſt. initio huius capitis inquit ſpeciem ſubſtantiæ magis eſſe ſubſtantiam quàm genus atque etiam primam ſubſtantiam eſſe maximè ſubſtantiam ergo falſum eſt ſubſtantiam non ſuſcipere magis aut minus. Ariſt. diluit obiectionem dicens, cum dico ſubſtantiam nõ dici magis aut minus non comparo vnam ſubſtantiam alteri ſed illam ex ſe ipſa cõſidero. nam vnus homo neque magis neque minus homo altero dicitur vt album vnum altero magis album eſt aut minus album & idem vno tempore magis album dicitur quàm altero. ratio eſt quia definitio ſubſtantiæ eodem prorſus modo omnibus ſubſtantijs ineſt ſi ſpecies ſpeciei, aut indiuiduum indiuiduo comparetur. ex accidenti verò ſubſtantia dicitur magis & minus, quatenus inquam vicinius atque propius accedit ad primam ſubſtantiam. nihil enim prohibet vnam ſubſtantiam dici magis aut minus ſubſtantiam altera quod Ariſt. refert atque ſignificat cum inquit ſpeciem ſubſtantiæ magis eſſe ſubſtantiam quàm genus. hoc eſt plurium eſſe ſubiectum, quia de eadem plura dicuntur aut in eadem ſunt, quod eſt proprium primæ ſubſtantiæ.*

*Obiectio nẽ diluit Ariſto.*

*Quo modo ſubſtã tia dicatur magis & min'.*

*Tertio rogabit aliquis, cur cum iſtud non ſit proprium ſubſtantiæ Ariſt. hoc nõ admonuerit, quemadmodum fecit cum cætera communia ſubſtantiæ referret. huius rei ratio eſt non quod credat id omnino proprium ſubſtantiæ ſed quia ſuſcipere magis & minus & eſſe contraria mutuo conſequuntur quare ſi alterum alicui non inſit neceſſe eſt ſimiliter alterum non ineſſe ergo cum admonuerit non eſſe proprium ſubſtantiæ nõ habere contrarium nihil opus fuit dicere nõ eſſe proprium etiam ſubſtantiæ non ſuſcipere magis aut minus. Hæc eſt enim cauſa cur Ariſt. quam primũ dicit nõ habere aliqua vel habere cõtrarium ſubiũgit, ſuſcipere magis aut minus aut nõ ſuſcipere.*

*Cur Ariſtote. non ait, hoc nõ eſſe ſubſtãtiæ proprium.*

Maximè verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, quòd cùm vnum, & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptiuum eſſe: & in aliis quidem non habet quiſquam quod proferat, quæcunque non ſunt ſubſtantiæ, quòd cùm ſit vnum numero, ſuſceptibile cõtrariorum ſit: velut color,

*L iij qui*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

qui eſt vnus, & idem numero, non dicitur albus, & niger: neque eadem actio, & vna numero, erit praua, & ſtudioſa. Similiter autem & in aliis quæcunque non ſunt ſubſtantiæ. Subſtantia verò, cùm vnum, & idem numero ſit, capax contrariorum eſt: vt quidam homo, cùm vnus, & idem ſit, aliquando quidem albus, aliquando fit niger, & calidus, & frigidus, & prauus, & ſtudioſus: in nullis autem aliis, aliquid tale videtur.

*Enumeratis quæ propria ſubſtantiæ aliquo modo ſunt, non tamen omnino, conſequuntur tamen ſubſtantiam, vt non eſſe in ſubiecto. vniuocè prædicari. ſignificare hoc aliquid. non habere contrarium neque ſuſcipere magis aut minus. proprium quærendum erat, quod omnibus & ſolis ſubſtantijs ineſſet. hoc tradit Ariſt. cum inquit, maximè proprium eſſe ſubſtantiæ poſſe ſuſcipere contraria. quod autem omnino proprium ſit hoc, opinione Ariſto. apertè conſtat, quia illud appellat maximè proprium ſubſtantiæ. cætera minime. hoc probat ſumpto argumento à definitione proprij. nam omni & ſoli ineſt ſubſtantiæ. quod inductione demonſtrat. in primis enim non conuenit alijs à ſubſtantia quia vnus & idem color non dicitur albus & niger. neque eadem actio numero praua eſt atque ſtudioſa & in alijs quæ non ſunt ſubſtantiæ ſimiliter accidit. Quare alijs à ſubſtantia non ineſt vnum atque idem numero poſſe ſuſcipere contraria, Sed quod inſit omni ſubſtantiæ inductione etiam demonſtrat. Nam quidam homo cum ſit vnus atque idem numero modo albus fit modo niger modo calidus modo frigidus, modo prauus modo ſtudioſus. quemadmodum autem vſi ſumus ſingulorum hominum exemplo ita etiam licebit vti exemplo cæterarum ſubſtantiarum quæ in prædicamento ſubſtantiæ collocantur. eadem ſententia ratione conuinci poteſt quia cætera à ſubſtantia accidentia ſunt ſed accidens ſuapte natura ſubiectum non eſt. ergo nihil à ſubſtantia eſt ſuſceptiuum contrariorum.*

*Propriũ maximè ſubſtãtiæ*

*A defini tiõe ꝓprij ſumit argumẽtũ.*

*Inductione ꝓbat.*

*Ratione colligit.*

*Cum inquit Ariſt. ſubſtantiam eandem numero capacem eſſe cõtrariorum verba accipienda ſunt non in eo ſenſu vt ſubſtantia ſimul habere poſſit contraria, ſed viciſſim, quia fieri non poteſt vt in eadem*

*Capax cõtrariorũ ſubſtãtia*

re

*re ſubiecta duo contraria actione exiſtant. neque vt adſit poteſtas illa ſimul ſuſcipiendi. habet tamen ſubſtantia poteſtatem ſuſcipiendi non magis vnum quàm alterum contrarium. adiecit etiam Ariſt. vna atque eadem numero manens. nam numerus contraria poteſt admittere par videlicet atque impar, ſed non idem numero, imò verò neque ſpecie idem ſed genere.*

*Vna & eadem numero.*

*Omnino ſubſtãtia.*

*Dixit deinde omnem ſubſtantiam poſſe ſuſcipere contraria non tamen omnia contraria, quia fieri non poteſt vt in eadem re etiam vicißim omnia contraria inſint præſertim quando alterum contrariorum natura ineſt, nam coruus ita infectus eſt nigrore vt candorem penitus reſpuat, ignis etiam frigus admittere non poteſt. poteſt tamen ſuſcipere motum ſurſum & deorſum quæ ſunt contraria, & coruus calorem & frigus. eodem quoque pacto ſi diligenter rem conſideremus comperiemus proculdubio ſingulas ſubſtantias poſſe aliqua ratione contraria ſuſcipere. Nam Sol & Luna cæterique orbes cœleſtes duplicem motum habent, vnum ab oriente in occidens quo rapiuntur à primo orbe, alterum ab occidente in oriens, qui ſingulis eſt peculiaris. ijdem etiam orbes interdum prope nos ſunt, interdum abſunt longius à nobis. ineſt præterea in Luna illuſtratio atque deliquium. quare verũ eſt quod Ariſt. ait, Maximè proprium eſſe ſubſtantiæ poſſe ſuſcipere contraria,*

Niſi quis forſitan inſtet, dicens orationem, & opinionem contrariorum eſſe ſuſceptibilia: eadem enim oratio vera, & falſa videtur eſſe: veluti ſi vera ſit oratio, ſedere quendam, eo ſurgente ipſa eadem falſa erit. Similiter autem & de opinione: ſi quis enim verum putet aliquem ſedere, ſurgente eo, falſò putabit eandem de eodem opinionem habens. Sed & ſi quis hoc ſuſcipiat, tamen modo differt: nam ea, quæ in ſubſtantiis ſunt, ipſa quidem mutata ſuſceptibilia ſunt contrariorum. Frigidum enim ex calido factum, mutatum eſt: alteratum enim eſt: & nigrum ex albo, & ſtudioſum ex prauo. Similiter autem & in aliis, vnumquodque eorum mutationem ſuſcipiens, ſuſceptibile contrariorum eſt. Oratio nanque, & opinio, ipſa quidem immobilia omnino perſeuerant: cùm verò res mouetur, contraria



(c) 2007 Ministerio de Cultura

circa ipſam fiunt. Oratio nanque eius, quòd ſedeat aliquis permanet eadem: cùm verò res mota ſit, aliquando quidem vera, aliquando autem falſa dicitur. Similiter autem eſt in opinione. Quapropter ſaltem hoc modo, proprium ſubſtantiæ eſt, vt ſecundum mutationem ſui ipſius ſuſceptibilis ſit contrariorum. Si quis autem recipiat etiam hæc, orationem & opinionem ſuſceptibilia eſſe contrariorum, non eſt hoc verum. Oratio nanque, & opinio non in eo, quòd ipſa aliquid recipiant, contrariorum ſuſceptibilia eſſe dicuntur: ſed in eo, quòd circa alterum aliqua paſsio facta ſit. nam in eo quod res eſt, aut non eſt: in eo etiã oratio vera, vel falſa eſſe dicitur: non in eo quòd ipſa ſuſceptibilis ſit contrariorum. Simpliciter enim à nullo, neque oratio, neque opinio mouetur: quapropter non erunt ſuſceptibilia contrariorum, cum nulla cõtrarij ſit paſsio in eis facta: verùm ſubſtantia in eo quòd ipſa contraria recipiat, in hoc ſuſceptibilis eſſe contrariorum dicitur. Languorem enim, & ſanitatem ſuſcipit, & candorem, & nigredinem, & vnumquodque talium ipſa ſuſcipiendo, contrariorum ſuſceptibilis eſſe dicitur. Quare proprium erit ſubſtãtiæ hoc, quòd cùm vnum, & idem numero ſit, ſecundum ſui ipſius mutationem, ſuſceptibilem cõtrariorum eſſe. Ac de ſubſtantia quidem hæc dicta ſunt.

*Aduerſum iſtã ſentẽtiã.* *Contra iſtam ſententiam eſt argumentum, quod hoc modo colligitur. id non ineſt omni neque ſoli ſubſtantiæ ergo non eſt maxime proprium ſubſtãtiæ vt Ariſt. teſtatur. in primis quidem nõ ineſt ſoli ſubſtantiæ: conuenit enim quantitati etiam. nam oratio quãtitas eſt vt Ariſt. refert hoc loco & in ſermone de quantitate, & tamen poteſt contraria ſuſcipere vnum atque idem numero manens, oratio enim quæ dicit Socratem diſputare ipſo diſputante vera eſt ſi verò nõ diſputet eadem numero eſt falſa, opinio præterea quæ inter qualitates refertur eadem numero ſuſcipit verum & falſum quæ ſunt cõtraria videtur ergo aliud à ſubſtantia cõtraria poſſe ſuſcipere. iſtam* *Soluitur dubitatio biſariam.* *dubitationem biſariam ſoluit Ariſto. primum quidem adhibet fiduciariam reprobationem. Nam admittit quod obijcitur & demõſtrat etiam ſi illud verum ſit nullo pacto obeſſe explicatæ ſentẽtiæ. deinde vtitur inſtantia quia quæſtionem non admittit ſed depellit. eſt enim inſtãtia propoſitio propoſitioni cõtraria. Primum ergo fiduciaria vtitur reprobatione & quæſtionem ſoluit à cauſis efficiẽtibus veri atq; falſi.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

falſi, Dicens, quòd tametſi verum ſit, quòd Oratio, & Opinio cõtraria ſuſcipiant, verum videlicet, atque falſum, nihil ſequitur abſurdi cõtra ſentẽtiam propoſitã: quia nõ eo modo Opinio, & Oratio ſuſcipiunt cõtraria, quo modo illa ſuſcipit ſubſtãtia. Nam Subſtantia per propriã mutationẽ, alterationem, inquam, cõtraria ſuſcipit, at verò Oratio, & Opinio per rei mutationẽ. Nam quia in re ipſa permutatio quædã, & varietas accidit, oratio, & opinio veræ, vel falſæ dicũtur, ſubſtãtia verò, quia ipſa mutatur: ſuſcipit enim Socrates. v.g. calorem, quia mutatus eſt, & frigus abiecit. Secũdo inſtantia vtitur, falſum eſſe dicẽs, quòd Oratio, & Opinio cõtraria ſuſcipiant. Nam quæ cõtraria ſuſcipiũt, ipſa permutãtur omnia (quod inductione conſtare facile poterit) at opinio, & oratio nõ mouentur, cum veræ, aut falſæ efficiũtur, ſed potius res mutantur, cùm in eo, quòd res eſt, vel nõ eſt, oratio, & opinio dicatur vera, vel falſa: falſum ergo eſt, quod accipiebat aduerſarius, Aliud à ſubſtãtia poſſe ſuſcipere contraria: vel illud ſaltem erit maximè propriũ ſubſtãtiæ, poſſe ſuſcipere cõtraria, cùm ipſa permutatur. Hoc enim neque orationi, neque opinioni, neq; cuipiã alteri rei ineſt à ſubſtãtia. Poſtremò dicere poſſumus, quòd licet opinio, & oratio veritatẽ, atque mẽdacium admittant, putari nõ debent contrarium ſuſcipere, quia verũ, & falſum contraria nõ ſunt, ſed potius relata. Nam quẽadmodũ calceatio nõ cõſtat pede tantùm, aut calceo, ſed potius cõcinitate quadam calcei ad pedẽ, ita quoque veritas cernitur in cõuenientia verborũ cum rebus ipſis: nam veritas eſt quædã conformitas animi, aut cõceptus cum ipſa re.

Oĩa quæ contraria ſuſcipiũt permutãtur.

Aduerſus eãdem ſentẽtiam ſit argumẽtor, poſſe ſuſcipere contraria ineſt alijs à ſubſtãtia, ergo nõ eſt maximè propriũ ſubſtãtiæ: conſequẽtia nota eſt, & maior probatur: nam actioni cõuenit, ſi quidem actio praua, atque ſtudioſa dicitur, prauum autẽ, atque ſtudioſum cõtraria ſunt. Dicẽdum ad hoc eſt, verũ eſſe, quod actio ſuſcipit cõtraria, at nõ vna, atque eadẽ numero manens (quod ineſt ſubſtãtiæ) ſed potius diuerſa: fieri enim nulla ratione poteſt, vt quæ actio modò proba eſt, eadẽ ſit vnquàm praua, at ſubſtãtia vna, atque eadẽ capax eſt cõtrariorũ. Tertio adhuc vna, & eadẽ manens quãtitas, ſuſcipere po

Secunda rõ aduerſus iſtã ſẽtentiam.

Soluitur.

Tertia rõ



(c) 2007 Ministerio de Cultura

teſt contraria, ergo non eſt hoc maximè proprium ſubſtantiæ. probo: idem enim corpus modò cãdidum eſt, modo atrum, hæc verò cõtraria ſunt. Iſta dubitatio facilè adimitur, ſi dicamus quantitatem quidem poſſe ſuſcipere cõtraria, vt albũ, & nigrum, at nõ per ſe, hoc eſt, quatenus quãtitas eſt, ſed ratione ſubſtãtiæ. Nam ipſa ſubſtãtia eſt vltimum ſubiectũ contrariorũ, atq; eius cauſa quãtitas ſuſcipit cõtraria: nam quãtitas eſt, quo ſubſtantia ſuſcipit cõtraria: quare propriũ ſubſtantiæ eſt, quòd vna & eadem numero manens, per ſui mutationem primò, & per ſe poſſit ſuſcipere contraria.

*Soluitur.*

*Quantitas ratiõe ſubſtãtiæ contraria admittit.*

Sed vrgebis: linea quantitas eſt, & illi ineſt rectũ, & curuum per ſe, nõ ratione ſubſtantiæ, rectum verò, & curuum cõtraria ſunt, ergo alijs à ſubſtantia cõuenit per ſe ſuſcipere cõtraria. Dicendũ ad id eſt, rectum & curuũ, quæ per ſe quantitati inſunt, nõ habere veram rationẽ cõtrariorum, ſed potius differentiarũ, aut paſſionũ, Ariſt. verò loquitur de his cõtrarijs, quæ à cæteris generibus oppoſitorũ diſtinguntur: hæc autem ſuſcipere ſola ſubſtantia poteſt.

*Quarta ratio.*

*Soluitur.*

Quòd autem non omni cõueniat ſubſtantiæ poſſe ſuſcipere cõtraria, atque ex cõſequenti nõ ſit hoc maximè proprium ſubſtantiæ probatur: nam nõ cõuenit ſecũdis ſubſtantijs: quod ea ratione ſuadetur, quia ſecũda ſubſtantia non eſt vnũ numero, ſed vel ſpecie vnum, vel genere. Aiunt quidam cõuicti iſto argumẽto, hoc non eſſe proprium omnis ſubſtantiæ, ſed indiuiduæ tantũ. Verùm iſtorũ ſentẽtia probari non poteſt, quia alioqui non aſſignaretur propriũ eius ſubſtantiæ, quæ maximè eſt in hoc prædicamento. neque aſſignaretur diſcrimen inter prædicamenta. Quare dicendũ eſt, quòd hoc nõ ſolùm ineſt indiuiduis ſubſtantijs, ſed etiam ſecũdis, quod illo argumento colligitur: quia ſi Socrates ſuſcipit cõtraria, homo, & animal illa ſuſcipiant: nã Socrates homo eſt, atque animal. Quoniam verò hoc ipſum ſyllogiſmo mõſtrandum erat, nullo Ariſt. exemplo vſus eſt, quo probaret ſecũdam ſubſtãtiam poſſe cõtraria ſuſcipere & quia hoc in prima ſubſtantia maximè cernitur. ſenſu enim conſtat. eius exemplo vſus eſt, & propriũ illi potiſſimum accõmodauit. Dixit autem vnũ numero, ſignificans vniuerſam ſubſtãtiam tàm primã quàm ſecũdam, vt intelligamus

*Quòd nõ omni inſit ſubſtãtiæ.*

*Vnum numero.*

telligamus minimè agere de ſecundis ſubſtantijs exiſtentibus in animo ſed de ſecūdis quæ cōiunctæ ſunt rebus ſingulis atq; in eiſdē collocatæ. nā in iſtis ſubſtantijs cōtraria ineſſe poſſunt. quatenus ſubſtantiæ ſunt vt inquit Porphirius. Secūdæ verò ſubſtātiæ exiſtētes in animo. i. quatenus vniuerſalia quædam ſunt, cōtraria ſuſcipere nō valēt. nam homo vt cōmune quoddam eſt atq; vniuerſale neque albus eſt neq; niger. neque prudēs neque in prudēs. deniq; nullū cōtrariorū in ſe habet. quatenus verò homo eſt aut animal prudentiā habet aut imprudentiam. ſanitatem vel egritudinem vnus atque idē permanens. *Vniuerſale vt eſt vniuerſale non ſuſcipit cōtraria.*

Simplicius ait maximè propriū eſſe ſecūdæ ſubſtantiæ vt indiuidua quæ ſub ea collocantur poſsint ſuſcipere cōtraria & hoc nobis in præſentia Ariſtotelē ſignificare voluiſſe. quod mihi magnopere probatur. Nam eo pacto omni & ſoli ſubſtantiæ inerit & nihil erit cur Ariſtotelem reprehēdamus quòd nō explicuerit eius ſubſtantiæ proprium quæ in prædicamento ſubſtantiæ collocatur. illa eſt ſecunda ſubſtantia ſed eius tantum proprium tradiderit quæ non exiſtit in prædicamento, huiuſmodi eſt prima ſubſtantia. *Simplicij ſentētia.*

Vt autē apertius cōſtet quænā ſint in hoc prædicamento reponēda, vnde vſus prædicamentorū maximè capitur, placet hæc ipſa recēſere. *Quænam exiſtāt in hac categoria.*

Primum ad hoc prædicamētum pertinet angelus atq; demon. Angelus quidem vt ſpiritus eſt. non vt nomē officij, quia iſta ratione ad qualitatem refertur. 1 *Angelus*

Mundus cœlum & orbes ſinguli. 2

Quattuor elementa ignis, aer, aqua, terra. 3

Omnes ſpecies animalium quas paulo inferius explicabimus. 4

Nomina arborum. herbarum fructicum. florum, fructuum, leguminum frumentorum. 5

Nomina lapidum & gemmarum. adamas, marmor magnes, chriſtallus iaſpis, 6

Nomina metallorum vt aurum, argentum. 7

Nomina impræſionum meteorologicarum quarum Ariſtoteles quatuor libris mentionem facit. 8

Poſtremò nomina rerū inanimatarū vt oppidum mons toga gladius, quæ omnia hæc figura quodammodo demonſtrat. 9



(c) 2007 Ministerio de Cultura

- Subſtātia
  - Spiritus
    - Michael
    - Gabriel
    - Raphael
  - Corpus
    - Animatū
      - Animal
        - Brutum
          - Quadrupes
            - Equus
            - Lupus
            - Canis
          - Auis
            - Cornix
            - Anſer
            - Pſitacus
          - Piſcis
            - Gobio
            - Salmo
            - Rhōbus
          - Reptile
            - Serpens
            - Lacertus
            - Baſiliſcus
        - Homo
          - Ioannes
          - Alfonſus
          - Plato
      - Planta
        - Arbor
          - Quercus
          - Malus
          - Corilus
        - Frutex
          - Geniſta
          - Vepres
          - Arundo
        - Herba
          - Menta
          - Saluia
          - Achantus
    - Inanime
      - Simplex
        - Elementum
          - Ignis
          - Aer
          - Aqua
          - Terra
        - Caleſte
          - Firmamentum
          - Orbes ſinguli
      - Mixtum
        - Lapis
          - Silex
          - Iapix
          - Sardonix
        - Metallum
          - Aurum
          - Argentum
        - Iſtorum media
          - Gummi
          - Gluten
          - Sulphur

(c) 2007 Ministerio de Cultura

## ¶ *Argumentum capitis de quantitate.*

*Explicat Ariſt. in preſentia naturam quãtitatis ex proprio eiuſdem, quoniam vera atque germana differẽtia non ſuppetit. quia quantitas genus ſupremũ eſt. ſumit autẽ exordiũ à diuiſione quãtitatis nã vniuerſa illa quidẽ vna definitione nõ facile explanari poteſt.*

## ¶ Caput de quantitate.

QVantitatis autem, aliud eſt Continuum, aliud eſt Diſcretum: & aliud quidem ex habentibus poſitionem ad ſe inuicem ſuis partibus conſtat, aliud autem ex non habentibus poſitionem. Eſt autem Diſcreta quantitas, vt numerus, & oratio: Continua verò, vt linea, ſuperficies, corpus: ampliùs autẽ & pręter hæc eſt tẽpus & locus.

*Exiſtit initio huius ſermonis quæſtio vtrum ſtatim poſt ſubſtantiam quãtitas collocanda ſit an potius quodpiam aliud genus. Plotinus Platonicus magno ingenio vir in ea eſt opinione vt credat ſtatim poſt ſubſtantiam qualitatem explicãdam eſſe nõ quantitatẽ. ſequitur in ea ſentẽtia architæ opinionem qui cum de decem prædicamentis diſputaret qualitatẽ proxime adiecit ſubſtãtiæ. rationes quas iſti autores ſequũtur illæ ſunt. Prima eſt, forma prior eſt quàm materia, ſed qualitas habet rationẽ formæ quãtitas materiæ, ergo qualitas prius explicanda eſt quàm quãtitas. Altera ratio eſt. qualitas ſuapte naturà indiuidua eſt diuiditur autẽ ex accidẽti. diuiſa videlicet quantitate. at quantitas diuidi per ſe poteſt, ergo prior eſt qualitas quàm quãtitas ſuapte natura. probo cõſequentiam, quia quod diuidi non poteſt prius natura eſt eo quod diuiſionẽ admittit. Sequitur ergo priori loco collocãdam eſſe qualitatẽ quam quãtitatem ſiquidem eſt quantitate prior. nobis tamen longe aliter videtur, arbitramur nanq; ſtatim poſt ſubſtãtiam collocãdam atque explicandam eſſe quantitatẽ, quod facit Ariſt. adducimur in iſtam ſentẽtiam primum ea ratione quoniã ad cõparandam exactam cognitionem ſubſtantiæ neceſſaria eſt cognitio quãtitatis cum in capite de ſubſtantia Ariſt. quãti memi*

*[margin: Vtrũ quãtitas ſtatim poſt ſubſtantiam debeat explanari. — Prima ratio. — Secunda ratio. — Noſtra ſẽtentia. — Prima ratio.]*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

nerit dicens, ſubſtantiam non habere contrarium neque ſuſcipere ma
gis aut minus quod etiã ineſt quãtitati conſentaneũ ergo fuit quàm
primum dicere quid quãtitas eſſet ne ſuſpenſi diu lectores tenerẽtur.
Secunda ratio. Altera ratio eſt quia magis cõuenit quantum cum ſubſtantia quàm
vllum aliud genus reliquorum. æquum ergo fuit vt ſubſtantiæ ſtatim
quãtitas aſſideret. eſt enim quãtitas quodammodo ſubiectum vt ſub
ſtantia. & niſi quantitate efficiatur finita ſubſtantia nunquam ſu-
Tertia ratio. ſcipiet qualitatem. Plurima etiã habet quantitas cum ſubſtantia cõ
munia. nam neque ſuſcipit magis aut minus neque cõtrarium vllum
habet quo nomine ſubſtãtia à cæteris generibus maximè differt. alia
Quarta ratio. cauſa eſt, vt Porphirius ait, quoniam quãtitas proximè ſequitur ſub-
ſtantiam. vnũquodque enim ſimul atque eſt, vnum aut plura eſt, quæ
Quinta ratio. referũtur ad quantitatem. Poſtremò, quia natura ſecundum locum
obtinet quantitas. Nam ipſa materia prima quæ ſponte ſua ſine cor-
pore eſt. ſine forma & figura vlla, primum omnium triplicem illam
dimẽſionem ſuſcipit longum videlicet latum atque profundum. dein
de verò ratione quantitatis cætera omnia accidentia. atque huc ſpe-
quant. 2m. ſubiectũ Ariſt. ctans Ariſt. quantitatem vocat ſecũdum ſubiectum quod ſi verum
eſt aperte colligitur ſecundum locum deberi quantitati.

Soluũtur contrariæ rationes. Illæ verò rationes quibus Plotinus & Architas atque alij ex ve-
teribus hominibus in ſentẽtiam adducti ſunt vt putarẽt qualitatem
primum locum habere poſt ſubſtantiam adhibita diſtinctione facile
2 Accidentia bifariam cõſiderãtur. diluentur. Cum enim bifariam accidentia à nobis poſſint conſidera-
ri vno modo per ſe, hoc eſt ſecundum propriam naturam, altero mo-
do reſpectu ſubſtantiæ, ſi priori modo ſumantur qualitas antecedit
quantitatem atque hoc ipſum eſt quod rationibus aduerſariorum cõ-
uincitur. ſi verò conſiderentur ad ſubſtantiam relata quantitas qua-
litate prior eſt. quam ſententiam adductæ à nobis rationes perſua-
Secunda. dent, altera etiam diſtinctione adimi poteſt ambiguitas illa videli-
cet, quòd quantitas nobis prior eſt qualitas natura, quod vulgo dicitur
ordine doctrinæ atque eius habita ratione non natura ipſa. Si quãdo
verò Ariſt. iſtum ordinem proponendi atque tractandi decem ſupre
ma genera aut prætermittit aut inuertit tunc ſanè diuerſa ratione
conſiderat

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*conſiderat quàm hoc ipſo loco prædicamēta. Explanata iſta quæſtione accedamus iam ad Ariſtotelem atque eius de quantitate ſententiam interpretemur. in primis ille tradit quandam diuiſionem quantitatis. Duplex, inquit, eſt quantitas vna continua altera diſcreta. vtranque ſua definitione explanat. continua quantitas eſt cuius partes copulantur aliquo termino communi, ad quem terminum referūtur. diſcreta quantitas eſt, cuius partes nullo communi termino copulantur, ſed diſcretæ ſunt atque ſeparatæ. quantitatis continuæ quinque ſpecies, inquit eſſe Ariſto. videlicet, lineam, ſuperficiem, corpus. & præter hæc inquit, tempus & locum. Diſcretæ verò quantitatis Duæ tantum ſpecies ſunt numerus inquam & oratio.*

*Duplex quātitas. Continua ſeu coniuncta. Diſcreta ſeu diſiūcta. Quinque ſpecies cōtinue quātitatis. Duæ ſpecies de iūctæ quantitatis.*

Partium etenim numeri nullus eſt cōmunis terminus, ad quem copulentur partes eius: vt quinque ſi ſunt denarij partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque & quinque, ſed ſemper diſcreta ſunt & ſeparata. Sic & tria & ſeptem ad nullum communem terminum copulantur. Neque omninò habeas in numero communem terminum partium accipere, ſed ſemper diſcretæ & ſeparatæ ſunt: quapropter numerus quidem diſcretorum eſt.

*His verbis Ariſt. demonſtrat numerum eſſe quantitatem diſcretam. Sumit autem argumentum ab eius definitione, quod ita colligitur. Diſcreta quantitas eſt cuius partes non copulantur aliquo termino communi, huiuſmodi eſt numerus, eſt ergo numerus quantitas diſcreta conſequentia manifeſta eſt & maior apertè vera minorem verò propoſitionem Ariſto. probat inductione. eſt quidem numerus quantitas quia eſt menſura rerum numeratarum. quæ ſanè eſt ratio quantitatis aut proprium eius. Diſcreta verò quia eius partes nullum habent communem terminum ad quem referantur aut quo copulentur. quod eſt dicere (vt Porphirius interpretatur) quia inter partes numeri nihil omnino interijci poteſt quod quaſi commune vinculum cognatas partes quantitatis retineat. Nam ſi denarium numerum verbi gratia in duos quinarios diuidamus proculdubio alteram partem ab altera prorſus abiunctam atque diſcretam reperiemus. Siquidem nulla vnitas eſt quæ vtrique numero ſit communis.*

*Numerus diſcreta quantitas eſt. Syllogiſmus. Non habere communē terminum.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*nis. nam quinta vnitas exempli gratia, neque ſecum connectit quatuor reliquas vnitates neque eaſdem cum partibus alterius numeri ergo numerus iure optimo diſcreta quantitas erit.*

*Numer⁹ vtrum ſit iſima ſpecies.* *Numerus autem non eſt infima ſpecies quantitatis ſed intermedia. nam multas continet ſpecies. vt binarium, ternarium & cæteros id genus numeros. Singuli enim numeri ſpecie diuerſi ſunt ab alijs numeris.*

Similiter autem & oratio diſcretorum eſt. Quòd autem Oratio quantitas ſit, manifeſtum eſt: menſuratur enim ſyllaba breui, & longa. Dico autem cum voce orationem factam: ad nullum enim communem terminum particulæ eius copulantur: non enim eſt communis terminus, ad quem ſyllabæ copulentur, ſed vnaquæque diuiſa eſt, ipſa ſecundum ſeipſam.

*Diſſerit hoc loco Ariſto. de oratione vt oſtendat diſcretam eſſe quantitatem probat autem vtrunque. quantitatem inquam eſſe & non quamlibet ſed diſcretam.*

*Cur non probat Ariſt. numerũ eſſe quãtum.* *Dicet aliquis cur Ariſto. non probat numerum eſſe quantum & præterea diſcretum vt facit cum de oratione diſſerit. huius rei illa ratio eſt quia numerum quãtum eſſe dubium non eſt. aperte enim conſtat eſſe menſuram rerum numeratarum & ſi dubium eſſet ſuperuacaneum fuiſſet peculiari ratione illud probare ſiquidem vno atque eodem argumento efficitur vtriuſque rei fides, at orationis alia ratio eſt nam tam obſcurum eſt quantum eſſe quàm diſcretum. imò verò longe magis. & hæc ſane cauſa eſt cur Ariſt. prætermiſſa oratione à numero cœperit diſputare eſt enim expeditior ratio monſtrandi numerum diſcretam eſſe quantitatem quam orationem, atqui inde incipiendum nobis eſt vnde quis facilius diſcat.*

*Difficile eſt perſuadere orationẽ quãtum eſſe, & diſcretum.*

*Duplex oratio.* *Quoniã verò oratio duplex eſt vna quæ exiſtit in animo, altera quæ in voce fit initio diſputationis. Ariſt. ambiguitatẽ tollit docens, quænã illa oratio ſit cuius hoc loco mentionẽ facit. atq; ita inquit. dico autẽ orationem cũ voce factã. itaq; oratio vocalis quãtitas eſt & diſcreta quantitas. nam quæ oratio in animo exiſtit quãtitas non eſt ſed potius operatio animi vel mentis habitus. quo nomine ad iſtud prædi-*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

prædicamentum referri non debet. quod autem oratio vocalis quantitas ſit Ariſt. probat ſumpto argumento à proprio eiuſdẽ. nam menſuratur ſyllaba breui & longa, inquit. longum autem & breue quãta ſunt, ergo oratio vocalis quanta eſt, aut quantitas. quòd autem diſcreta quantitas ſit definitione probatur. eius enim partes nullo communi termino copulantur. nihil enim reperire licet quod partes orationis cõnectat atque iungat interſe quod ſit idem plurium partium commune. Vna enim ſyllaba prolata cæteræ ſupprimi poſſunt, quare oratio diſcreta quantitas eſt.

*Quo argumento pbet Ariſtot. orationẽ eſſe quantitatem.*

*Quòd diſcreta.*

Quoniam verò quod Ariſt. refert hoc loco orationem quantitatẽ eſſe, obſcurum admodum eſt, neque facile perſuaderi quibuſdam potuit, rationibus, atque argumentis aduerſariorum à nobis illuſtrandum eſt. In primis verò ſic obÿcio: maximè proprium quantitatis eſt, menſuram eſſe, oratio menſura non eſt, ergo oratio non eſt quantitas: conſequentia legitima eſt in quarto modo ſecũdæ figuræ: maior eſt manifeſta, minor autem probatur, nam oratio non menſurat, ſed menſuratur ſyllaba breui & longa, vt ait Ariſt.

*Prima ratio ꝙ oratio nõ ſit quanta.*

Et confirmatur, quia nulla res, quatenus menſuratur, rationem quãtitatis poteſt ſuſcipere: alias enim ſubſtantiæ, quantitates eſſent, nam menſurantur.

*Confirmatur ratione.*

Tertiò iſtam ſententiam videtur Ariſto. confirmare, nam quinto libro de prima philoſophia capite de quantitate, aut quanto, non refert orationem inter ſpecies quantitatis.

*Item Ariſtotelis teſtimonio.*

Iſtæ rationes tantum apud quoſdam, non ignobiles ſcriptores valuerunt: vt plerique illarum momento perſuaſi, pro comperto habuerint, Ariſto. de hac re ſententiam prorſus falſam eſſe: neque defuit, qui huic vni opinioni refellẽdæ peculiare quoddam volumen dicarit, cuius titulus eſt aduerſus Ariſtotelem, Ariſtotelisq; ſequaces, quod orationes non ſint quãtitates: is eſt Ferrarienſis nobilis in academia noſtra grammaticus. Academia verò Louanienſis, cùm nullam poſſet rationem inuenire, qua ſuperioribus rationibus ſatisfaceret, auſa eſt dicere, orationem repoſitam fuiſſe ab Ariſt. inter ſpecies quantitatis, non ex propria, ſed ex aliorum philoſophorum, aut ex vulgi

*Variæ ſẽtentiæ in hac quæſtione.*

*Ferrariẽſis.*

*Academia Louaniẽſis.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Refellitur ſentētia academiæ. potius opinione: quorũ exiſtimatio facilè refellitur, primùm quia vulgus hominum nunquam putauit orationẽ eſſe quãtitatem, vt ex eius ſentẽtia hoc dixiſſe philoſophum quiſpiam arbitretur. Deinde quia hoc loco nõ eſt vſus Ariſt. ea phraſi, & loquẽdi modo, quo vti cõſue-
1 uit, cùm alienam ſententiam refert, ſed apertè pronunciauit oratio-
2 nem eſſe quantitatem.

3. Opinio Volunt alij orationem quãtam eſſe ratione numeri partium, quibus cõſtat: quod ſi tribus efficiatur ſyllabis, ternariam vocãt, ſi quatuor, quaternariam. Verùm iſti autores toto errant cœlo. Hoc enim
Refellitur. ſi verum eſſet, oratio nõ per ſe quãta eſſet, ſed ex accidenti: nam acci
Ratio. dit orationi, vt hoc, aut illo ſyllabarum numero conſtaret, at Ariſt.
1 orationẽ fecit quãtam per ſe, & inter veras ſpecies quãtitatis illã enu
2 merat: accedit ad hoc, ꝙ ſi ratione numeri eſſet oratio quãta, Ariſto. nõ feciſſet illã diuerſam à numero, ſed ſub numero illam repoſuiſſet.

4. Opinio Ait quidam orationem accipi hoc loco, vt eſt nomen mẽſuræ rei
2 ſucceſſiuæ, ſed iſta opinio probari non poteſt, nam oratio menſura nõ eſt, neque enim eſt aliquid, cuius mẽſura eſſe poſſit, & Ariſt. nõ probat orationẽ eſſe quãtitatem, quòd menſura ſit, ſed quia mẽſuratur ſyllaba breui, & longa. Tentãda ergo à nobis via eſt, qua explicemus

Noſtra de oratione ſentẽtia. quo ſenſu Ariſt. accipiat orationẽ, cùm illã facit ſpeciem quãtitatis: & præterea quo pacto adducta argumẽta aduerſus noſtram opinionem diſſolui poſſint. Exiſtimãdum itaq; eſt, quòd oratio, vocatur quãtitas, quia menſuratur ſyllaba breui, & longa, (vt inquit Ariſt.) id

Cur quãtitas vocatur oratio. eſt, quoniã natura ſua conſtat mẽſura ſyllabarũ, quæ breues, aut longæ ſunt, & vocalem orationem metiuntur. Oratio enim nomine, & verbo cõſtat, tãquam partibus: nomina, & verba ſyllabis: at ſyllabæ natura ſua breues, aut longæ ſunt. longæ enim, & breues perinde ſe habẽt, vt duo ad vnum: quia longa duplum tẽporis ſpacium conſumit in prolatione, quàm breuis. Quò ſpectans inſignis literis Hiſpanus,

Antoni⁹ Nebriſenſis. & compluti grãmaticæ, atque rhetoricæ profeſſor Antonius Nebriſenſis, quẽ honoris cauſa nomino, Syllaba, inquit, longa duo cõſumit tẽpora, ſed quæ dicitur eſſe breuis, tẽpus ſibi vẽdicat vnum: ergo cùm oratio tãquam primis partibus, ſyllabis cõſtet quãtis, longis, inquam,

aut

aut breuibus, & quod ſit ex alio per ſe eãdem rationem ſubeat cũ eo, ex quo efficitur, quia ſyllabæ quãtæ ſunt per ſe, & natura ſua, orationes quoq; per ſe quãtæ ſunt. Neque enim audiẽdus eſt, qui ait ratione tẽporis, quod inſumit in prolatione, orationẽ eſſe quantitatem: eſſet enim ex accidẽti quãta, nõ per ſe, vt apparet. Dum autem ita loquimur, nõ damus ſine mente ſonũ, vt eſt in veteri prouerbio: nam Porphirius grauis in primis autor, atque etiã Dexippus, ſummus philoſophus in libro interrogationũ idem vidẽtur ſignificare his verbis, Seleucus. Sed quia in tẽpore, inquit Plotinus, dicitur oratio, quòd quãtitas eſt, etiam ipſa oratio exiſtimatur quãta: eſt tamen in tẽpore quãtitas, atque ob tempus. Dexippus: ad hoc dicimus in voce eſſe magnitudinem, & paruitatẽ ex ſua ipſius natura, aut ex arteriæ magnitudine, & paruitate. Quãdo enim aperitur, & dilatatur, multitudinẽ, quãdo anguſtatur, paucitatem emittit: quæ igitur ex natura ſua eſt breuis, in breui tẽpore, quæ eſt longa, in longo conueniẽter pronũciatur. Vnde oratio quantitatem, quæ in voce eſt, priorem in ſe habet, quàm illam, quæ eſt in tẽpore: nam licet nõ pronuncietur, illa tamen quæ ſcripta eſt oratio, lõgam in ſe natura, & breuem ſyllabã cõtinet. Quòd ſi in his naturà longũ, & tẽpore, manifeſtè diſtare conſpicitur, non ex breuitate temporis ſyllaba breuis dicitur, ſed ex eo quòd eſt breuis ſyllaba, fit, vt in tẽpore breui proferatur. Supereſt iam, vt rationes in cõtrariam partẽ adductas diſſoluamus. In primis verò quod dicitur, Orationem nõ eſſe mẽſuram, verũ quidem eſt, nõ tamen rectè inde colligitur, quòd oratio nõ ſit quãtitas: nam menſura quantitas eſt: & præterea quod in ſe menſuram habet intrinſecam: cuiuſmodi eſt oratio. Quando inſtat aduerſarius, quod menſuratur, non eſſe quãtitatẽ, diſtinctio adhibenda eſt: aut enim menſuratur intrinſeca menſura, aut extrinſeca, ſi extrinſeca, nõ oportet eſſe quantitatem: vnde ſubſtantiæ licet habeant in ſe menſuram, quoniam illa extrinſecus accedit, non dicuntur habere rationem quantitatis: quod autem menſuratur intrinſeca menſura, id quãtitas proculdubio eſt: id genus eſt oratio, quæ menſuratur menſura partium ſuarum, ideſt, longitudine, & breuitate ſyllabarum.

*Porphirius.*

*Dexipp⁹.*

*In voce magnum & paruũ natura ſua.*

*Redditur ratio, cur nõ ratione temporis poſſit oratio quanta eſſe.*

*Diluuntur argumenta.*

1

*Oratio nõ eſt menſura.*

2



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Obiectio

Obijcies: ſi oratio, quia longa eſt, aut breuis, per ſe quãta eſt, actio quoque erit per ſe quanta, alia enim longa eſt, alia breuis, at Ariſto. actionem quantam facit ex accidenti.

Inter actionem, & oratio nẽ multũ intereſt.

Vtrobique tamen diuerſa ratio eſt, nam oratio eſt per ſe quanta, quia eſt per ſe longa, & breuis: actio verò ex accidenti quanta eſt, quia ex accidenti habet longum, & breue, nẽpe ex tẽpore, in quo fit.

Tertia ratio ſoluitur.

Ariſt. verò libro quinto de prima philoſophia, orationem non recenſuit, quemadmodum neque quaſdam alias ſpecies quantitatis: nõ quòd putaret non eſſe quantitatem, ſed quoniam ad rem, quam tractabat, explicandam ſatis eſſe putauit, vno, aut altero exemplo vti.

Quæſtio, vtrũ oratio infima ſpecies ſit, an potius intermedia

Refellitur quidam.

Quæret aliquis, vtrùm oratio, infima ſpecies ſit, an potius intermedia. Ait quidam, intermediam ſpeciem eſſe, & ſub ſe plures habere ſpecies: illæ, ſunt pedes in carmine, dactilus, verbi gratia, ſpondæus, & cæteri. Verùm hæc opinio probari non poteſt, quoniã ſpecies orationis, oportet eſſe orationes, pedes carminum, non oportet eſſe orationes, ergo non ſunt ſpecies orationis. conſequentia legitima eſt in quarto modo ſecundæ figuræ: maior propoſitio inde conſtat maximè, quòd genus prædicatur de ſuis formis. minor verò probatur, nam vnum nomẽ, aut verbum vnum, aut quæuis alia orationis pars, per ſe oratio non eſt, contingit tamen interdum, vt vno tantùm nomine, aut verbo, aut alia quacunque parte orationis, integer pes conſtet: imò, vt duo pedes eadem ſimplici voce efficiantur, pedes ergo carminis non poſſunt putari ſpecies orationis.

Noſtra opinio.

Quare ego ſanè crediderim, orationem eſſe ſpeciem infimam, ſub qua nullæ formæ exiſtant: nam ego quidem nullas video. Quòd ſi quis obiecerit, me parùm acutè cernere, oſtendat illas mihi, obſecro, qui cernit acutius, quàm aut aquila, aut ſerpens epidaurus.

Quo modo accipiatur oratio præſẽti loco.

Quorũdã ſententia

Refellitũ

1. Ratio.

Sunt qui dicant, Ariſt. hoc loco non eo ſenſu accipere orationem, quo ſenſu accipit lib. perier. quin potius in præſentia orationem eſſe rithmum, aut concentum quendam ipſarum vocum, atque ita pedes carminum, orationes aiunt vocari, atque eſſe. Sed errant proculdubio: nam vtroque loco eodem intellectu vſurpatur oratio. Hoc primùm conſtat, quoniam vtroque loco eodem vocabulo Ariſt. vtitur,

λόγον

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*λόγος enim vocat. Deinde cùm dicat in præſentia agere de oratione, quæ cum voce fit, dubitari non poteſt, quin de vera oratione loquatur. Nam ſi pro concentu orationem cœpiſſet, nihil opus erat, adhibere diſtinctionem, cùm apertũ ſit, in animo non eſſe concentum iſtũ, ſed in prolatione. Quare, vt iſtum ſcrupulum adimeret, atque etiam ambiguitatem huius vocis, λόγος, effugeret, quæ rationẽ ipſam, atq; orationem ſignificat, ſubiungit: Dico autem orationem, quæ cum voce fit. Tertio, quia concentus vniuerſus non tantùm menſuratur, ſed etiam menſurat orationem. Poſtremò hæc eſt ſententia Porphirij, Dexippi, Hammonij, & Boethij ſummorum philoſophorum, commentarijs in hunc locum.*

*Secunda.*
*Adimit ambiguitatem.*
*Tertia.*
*Quarta.*

*Dices, menſurari ſyllaba breui, & longa ineſt etiam pedibus carminum, ergo ſunt orationes. Sed ratiocinatio iſta vitioſa eſt: ea enim non colligitur, pedes eſſe orationes, ſed tantùm habere quantitatem, longitudinem, inquam, aut breuitatem. Nam Ariſt. iſtis verbis, Mẽſuratur ſyllaba breui, & longa, non probat quidpiam eſſe orationẽ, ſed orationem, quæ ſyllabam longam, aut breuem habet, quantam eſſe, aut quantitatem: quod pedibus etiam conuenit: nam pedes re vera quanti ſunt, & licet orationes non ſint, ad orationẽ referuntur.*

*Obiectio*
*Soluitur*

Linea verò cõtinuum eſt: eſt enim ſumere communem terminum, ad quem partes eius copulentur, id eſt punctum: & ſuperficiei, lineam. Plani nanque partes ad aliquem communem terminum copulantur. Similiter autem & in corpore habeas ſumere communem terminum, lineam, vel ſuperficiem, ad quem corporis partes copulantur.

*Dixerat paulo ſuperius, duas eſſe ſpecies quantitatis, vnam continuam, aut coniunctam, alteram diſcretam, aut diſiunctam. Hactenus adhibitis exemplis diſcretam explicuit: idem facit in præſentia in quãtitate continua. Continuæ ergo quãtitatis quinque ſpecies eſſe inquit: Lineam, Superficiem, Corpus, & præter hæc Tempus, & Locum. Quòd autem quinque ſint numeratæ ſpecies continuæ quantitatis, euidenti ſyllogiſmo monſtrabo. Hoc vt planius efficiam, quædam mihi initio diſputationis accipienda ſunt. Vnum eſt, quòd corpus, vt inquit Euclides lib. primo elementorum, tribus dimenſionibus cõſtat,*

*De continua quantitate diſputatio.*
*Quinq; ſpecies cõtinuæ quãtitatis.*
*Prĩa hipotheſis.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Longitudine, inquam, latitudine, & profunditate.*

Secunda. *Alterum eſt, nullum corpus eſt infinitum, ſed vnumquodque finitum eſt. Hoc euidenter demonſtrat Ariſt. vij. lib. Phiſicorum.* Tertia. *Tertium, terminus rei aliud eſt, quàm res ipſa, quæ termino cingitur, atque finitur. Aliud eſt enim modius, quo rem metimur, aliud res ipſa, quam metimur. Niſi enim hoc verum ſit, profecto idem erit finis, & quod finitur, vel vtrunque terminus erit, vel vtrunque erit, quod finitur. Nam ſi. a. eſt quod terminatur, b. terminus, b. autem, atque. a. ſunt idem, vtrunque terminus erit, vel vtrunque finitum, quod maximè abſurdum eſt. His tribus iactis fundamentis, quibus nemo cum ratione poſſit diſſentire, probo quinque eſſe ſpecies continuæ quantitatis, quas Ariſt. recenſet hoc loco. In primis vero rationem adferam, qua probetur eſſe lineam, ſuperficiem, atque corpus. Corpus enim, vt initio diximus, tribus dimenſionibus præditum eſt: eſt autem omne corpus finitum, ergo terminū habet, quare eius terminus non habet trinam dimenſionem, alioqui terminus, & quod terminatur idem omnino erunt, ergo habet vnam, aut duas dimenſiones: non habet vnam tantùm, aliâs non terminaret vndiquaque, neque ambiret totum corpus, & non poteſt ſecundum profunditatē tangere, ergo habet duas alias, longum videlicet, atque latum.* Superſicies. *Eſt igitur præter corpus, ſuperficies, quam Ariſt. planum appellat: nam hæc ab Euclide lib. primo deſinitur longitudo, & latitudo ſine profunditate. Verùm cùm ſuperficies perinde, atq; corpus, terminum habeat, qui ab ea vna dimenſione ſuperatur, vt ſuperficies à corpore. hæc vero dimenſio, latitudo ſit, erit àliquid longum ſine lato, & profundo: id lineam vocat Euclides.* Linea. *Quare exiſtunt tres iſtæ ſpecies, linea, ſuperficies, corpus, quod oſtendimus facta reſolutione.*

Cōponēdo etiā ꝓbatur, ꝙ ſit linea, & ſupficies, & corpꝰ. *Idem quoque probari poteſt componendo: non quòd linea componatur ex punctis, aut ex lineis ſuperficies, aut ſuperficiebus corpus: hoc enim nullo pacto fit.* Diuiſibile nō componitur ex indiuiſibili. *Quia nihil quod ſit diuiſibile ſecundum longum, latum, aut profundum componi poteſt ex re, quæ ſit indiuiſibilis aliqua ratione prædictarum, ſed per compoſitionem perſuaderi*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ſuaderi dicitur quadam ſimilitudine.*

*Hoc ita probatur: quia ſi punctum ducatur, fit linea, punctum enim principium lineæ eſt, quia ex eius ductu fit linea: linea verò protracta ſecundum latitudinem, ſuperficiem faciet: poſtremò ſuperficies ducta ſecundum profundum corpus efficit. Quare exiſtunt tria hæc, linea, ſuperficies, corpus: & quanta ſunt, quia rem metiuntur, & quantam faciunt, longam videlicet, latam, aut profundam. Continua autem ſunt, quia illorum partes ſimul cohærent, & ad vnum communem terminum referuntur: partes enim lineæ connectuntur puncto: partes ſuperficiei linea: partes corporis ſuperficie. Nam punctum vnum lineæ partes connectit: vna linea partes ſuperficiei retinet: denique vna ſuperficies, veluti nodo quodam, deuincit corporis partes. Quare tria hæc ſunt quanta, & continua. Quæ quoniam ex ſe ipſis continua ſunt, vt monſtratum eſt, & vnum ex alterius ductu fit, meritò ſimul ab Ariſto. ſunt relata. Locum verò, & tempus, quoniam ex ſe ipſis continua non ſunt, tametſi per ſe ſint quanta, à tribus prioribus abiungit Ariſto. cùm inquit: & præter hæc tempus, atque locus.*

*Ex ductu puncti, linea. Ex ductu lineæ, ſuperficies. Ex ductu ſupficiei corpus. Quòd hæc ſit quanta. Quòd ſit continua.*

*Cur ſpecies diuiſit.*

Eſt autem talium & Tempus & Locus: Præſens enim tempus, copulatur ad præteritum, & ad futurum. Rurſus locus continuorum eſt: locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur: ergo & loci partes, quæ obtinent ſingulas corporis partes, ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes: quapropter cōtinuus erit locus. Ad vnum enim communem terminum eius partes copulantur.

*His verbis ſignificat, atque demonſtrat Ariſto. tempus, atque locum continua eſſe: accipit autem ex communi hominum ſenſu, atque opinione duo hæc quanta eſſe. Nemo eſt enim, qui ignoret tempus, atque locum eſſe quanta. Quòd autem tempus continuum ſit, iſto ſyllogiſmo colligit: partes temporis copulantur communi termino, ergo tempus eſt continuum. conſequētia legitima eſt*

*Accipit tēpus, & locū quanta eſſe. Tēpus cōtinuum.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

à definitione continui. antecedens probat, quoniam partes temporis, præteritum, inquam, & futurum, præſenti tẽpore, vt cõmuni vinculo, copulantur. Eodem quoque pacto loci partes copulantur ad terminum, ad quem referũtur partes corporis: quoniam corpus eſt in loco. Dubium tamen eſt, cùm iſta duo, Locus, atque Tempus, (vt videtur Ariſt. inſinuare) non ſint ex ſe continua, vnde habeant, vt cõtinua ſint. Hoc vt intelligamus, quod eſt ſanè non parùm difficile explicatu, animaduertendum eſt, quòd hæc tria, Corpus, Tempus, atque Motus inter ſe comparantur, vt eleganter docet Ariſt. lib. vi. de phiſica auſcultatione. Nam quẽadmodum ſe habet magnitudo, ſic ſe habet motus, & qualis motus eſt, tale etiam eſt tẽpus. Quare ſi corpus eſt continuum, motus quoque cõtinuus eſt, quo agitatur: & ſi motus eſt cõtinuus, tempus, in quo motus fit, continuum eſt. Si verò corpus nõ vnum ſit, ſed diſcretum, eius motus nõ erit vnus, neque tẽpus, in quo mouetur, vnũ. Quia ergo lignum cõtinuum eſt, eius motus eſt vnus, & tempus ſimiliter. Huius rei ratio in promptu eſt. Quoniã omnis motus fit in magnitudine, hoc eſt, in re tantùm corporea ineſt: nam quæ res magna nõ eſt, aut quæ omnino vacat quãtitate, iſto motu moueri nequit, vt Ariſto. Demonſtrat lib. vi. atque. vij. auſcultationis phyſicæ. Tempus verò eſt menſura motus, qui fit in magnitudine, vt idem eſt autor quarto Phiſico. quòd ſi motus fit in corpore, & tempus eſt menſura motus, ille motus cõtinuus erit, aut vnus, qui eſt magnitudinis, aut corporis vnius: ille verò diſcretus, & multiplex, qui nõ eſt magnitudinis vnius. Ex motu etiam accipietur vnitas temporis, aut diſtinctio. Quam obrem cùm tempus potiſsimùm ſit menſura eius motus, qui fit in cœleſti corpore, primo præſertim mobili, quod vnum, atque cõtinuum eſt, motus eius, qui primus omniũ motus eſt, vnus & cõtinuus erit: quòd ſi motus, ergo & tempus, cùm ſit mẽſura motus exiſtentis in magnitudine continua, cõtinuum erit. Quare procul dubio tempus, eſt quãtitas continua, vt octauo Phiſico. docet Ariſt. Dies enim, eſt motus ſolis à loco, vnde ortus eſt, donec eòdem reuertatur. Menſis verò, motus lunæ ab eo loco, à quo progreſſa eſt, quouſque ad eundem redeat. Denique annus, proprius ſoli curſus, vt intelliga

Locus, cõtinuum.

Tẽpus vnde habeat, vt cõtinuum ſit.

Corp⁹, tẽpus, motus, cõparãtur.

Ratio.

Tẽp⁹, mẽſura cœleſtis mot⁹.

Tẽpus mẽſura motus.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*intelligamus tempus, eſſe menſuram motus, qui exiſtit in cœleſti corpore, vt admonet Ariſt. lib. ij. de ortu, atque interitu.*

*Locus verò quãtum eſt, quia corpus metitur quod exiſtit in loco, omnium philoſophorum ſententia, eſt autem continuum ex corpore. Nam locus Ariſt. autore. iiij. lib. Phiſicorum, nihil aliud eſt, quàm terminus ambientis, quatenus ambit, atque amplectitur corpus, ſed corpus ſuapte natura vnum, atque continuũ eſt, ergo & locus, in quo corpus exiſtit: atque id corporis gratia. Hinc conſtat, quinque ſpecies eſſe continuæ quantitatis, Lineam, Superficiem, Corpus, Tempus, atque locum, quorum illa tria, Linea, Superficies, Corpus, per ſe quidem continua ſunt, duo verò poſtrema, Tempus, atque locus, non per ſe, ſed ex alio: tempus quidem ex motu, cuius menſura eſt: qui vnus cẽſetur, ſi ſit magnitudinis vnius: at locus cõtinuus eſt ex corpore, qui exiſtit in loco. Sed obÿciet aliquis, quod diximus, tempus, atque locum non eſſe per ſe quanta, ſed tempus ex motu, locum ex corpore, falſum eſſe: nam ſi hoc verum ſit, hæc non erunt quanta per ſe, quod eſt contra ſentẽtiam Ariſt. paulò inferius. Sed dubitatio facilè ſoluitur, ſi dicamus vtrunque eſſe per ſe quantũ, quia vtrunque eſt menſura per ſe: Tempus quidem menſura motus, locus verò menſura corporis. Vel quia ſecundum vtrũque aliquid dicitur æquale, vel inæquale, quod eſt maximè proprium quantitatis: Duo enim corpora æqualia ſunt, quia occupãt locum æqualem: ſimiliter duo tempora, vt duo anni, aut menſes duo, quia metiũtur duo motus æquales. Eſſe autem continuũ ex alio, non eſt cauſa, cur nõ ſit per ſe quantum: & Ariſt. loco citato quantum diuidit, in per ſe quantum, & per accidens: non autem continuum. Nihil enim prohibet, quod eſt per ſe quantum habere ex alio, vt ſit cõtinuum. Dici etiam poteſt tempus, atque locum continua eſſe per ſe, ſed ex alio agnoſci à nobis quòd continua ſint.*

*[Vnde locus continuus ſit.] [Quinq; ſpecies quanti cõtinui.] [Obiectio ꝙ tẽpus, & locus, nõ ſint ex alio continua.] [Cur iſta ꝑ ſe ſint quanta.] [1] [2] [Cõtinuũ ex alio, ꝑ ſe quãtũ eſſe põt.] [Alia ratio ſoluẽdi nodũ.]*

*Verùm contra ſententiam Ariſt. aſſerentis quinque tantùm eſſe ſpecies quantitatis cõtinuæ, ſic arguo. Sunt præter quinque, aliæ etiã ſpecies, ergo non ſunt tantùm quinque. antecedens probo, primùm quia punctum eſt continua quantitas: vt enim linea, quantitas continua eſt, quoniam in eam ſuperficies vltimò recurrit, item quia ex*

*[Secunda obiectio, ꝙ ſint plures q̃ quinq; ſpecies continuæ quantitatis.] [1 Ratio.]*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

fluxu eius ſuperficies fit,ita quoque in punctum redit linea,atque ex ductu puncti linea efficitur: quare punctum rationem habebit con-
*Tertia.* tinuæ quantitatis,quemadmodum linea. Deinde motus etiam videtur eſſe quantitas continua. Nam cùm deprehendamus, tempus eſſe continuum ex motu, motus quoque cõtinuus erit: quia propter quod
*Soluũtur rationes.* vnumquodque eſt, & illud magis eſt.iij.Topico. Iſtæ tamẽ rationes non magno negocio ſolui poſſunt. Ad primam ergo dicendum nobis eſt,quòd Ariſt.non numerat punctum inter ſpecies continuæ quan-
*Punctum refertur ad quãtitatẽ,quia eſt initiũ eius.* titatis,non quòd credat non pertinere ad quantitatem, ſed quoniam (vt alio loco diximus) tantùm de his agit, quæ vulgus nouit, in cuius gratiam hæc ſcripta ſunt. Vulgus appello rudes homines, & qui primùm initiãtur dialecticæ. Huius rei ea ratio eſt,quoniam id,de quo diſſeritur,non debet omnino ab eo ignorari, qui doceri incipit: quinimò quandam prænotionem ad ſcholas adferre debet earum rerum,
*Vulgus.*
*Punctum õino ignorat multitudo.* quarum exactam cupit cognitionem parare, atqui punctum prorſus ignotum eſt multitudini: nemo enim præter philoſophos, aut geometras, punctum nouit: quare non ſine ratione punctum eſt ab Ariſt. prætermiſſum, tametſi ad quantitatem referatur, cuius initium eſt. Vt enim Ariſt.refert.lib.v.de prima philoſophia, punctum eſt indiuiſibile habens poſitionem in continuo.cætera vero cum ratione quãta vocat. ſunt enim in ore multitudinis philoſophiæ, & geometriæ
*Lineã,ſuperficiẽ,corp⁹ multi nouerunt.* rudis. nam & qui viam metiuntur lineam nouerunt,cùm longitudinis rationem habeãt, prætermiſſa cõſideratione lati,atque profundi. qui verò agros diuidunt,ſuperficiem conſiderant. nam longum,atque latum cõtemplantur,quibus cõſtat ſuperficies.corporis etiam memoriam habent,qui puteos,aut ligna,aut parietes metiũtur.nam longũ, latum,atq; profundum inſpiciunt. Punctum verò præter geometras, & philoſophos,(vt dixi) nemo nouit. quis eſt enim, niſi doctus ſit, qui putet rem eſſe vllam,quæ diuidi nõ poſſit, & cui neque longitu-
*Punctum non omnino quantitas eſt.* do ſit,neque latitudo,neq; profunditas? cùm autem punctum natura ſua quantitate vacet, quantitas verè cenſeri non poteſt: quia neque ſecũdum illud,aliquid dicitur equale,vel inequale,neque cuiuſpiã rei mẽſura eſt.linea verò quãta eſt, quia hæc illi inſunt. non quia ex eius

ductu

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ductu ſit ſuperficies, aut quia in eandem ſuperficies reſoluitur.*

*Ad rationem, quæ de motu adducta eſt, dicendum eſt, quòd motus non ponitur in prædicamẽto, vt alio loco diximus. Quia quod in prædicamẽto exiſtit, oportet finitum eſſe, terminum habere, & natura ſua eſſe perfectũ, atq; eius eſſentiã, & ſubſtantiã nõ pertinere ad plura prædicamẽta. motus vero, via quædam ad formã eſt, fine vacat, atq; in ſumma res eſt inperfecta, & in multis prædicamẽtis reperitur, nẽpe in Quãtitate, Qualitate, atq; Vbi: quæ motu cõparantur. Neque mirũ videri debet alicui, tẽpus cõtinuum eſſe ex motu, vt diximus ſuperius. nã ipſe motus vnus, & cõtinuus eſt ratione magnitudinis. aut ſimauis, ex motu conoſcitur, vtrũ tẽpus, vnũ atq; cõtinuũ ſit, nõ ſunt ergo plures ſpecies cõtinuæ quãtitatis, q̃ quinque numeratæ.* *Secunda ratio ſoluitur. Mot⁹ cur non ſit in prædicamento. Quòd ſit pauciores q̃ quinq; ſpecies cõtinuę quãtitatis.*

*Obijcies verũ quidẽ eſſe, quòd nõ ſunt plures ſpecies, quàm quinq;, pauciores tamẽ exiſtere: nam locus, & ſuperficies idẽ ſunt Ariſt. autore lib. iiij. Phiſicorũ, qui locũ finit vltimã ſuperficiẽ corporis continẽtis. Quidã iſto argumẽto perſuaſi aſſeruerũt, locũ, & ſuperficiem eandem ſpeciẽ eſſe quãtitatis: ex iſtorũ numero eſt Titelmanus, vir pius, atq; doctus: prætereà etiã Sueſanus, vir diligẽtiſſimus. Nobis tamẽ iſtorũ opinio probari nõ poteſt. Putamus enim diuerſam eſſe ſpeciem, quod & Ariſt. ſignificat præſenti loco: hæc enim maximè differũt. Nam ſuperficies, vt ſuperficies eſt, tãtum ſignificat magnitudinẽ cõſtantẽ lõgitudine, & latitudine. Locus verò eſt, quod ambit vndiquaq; illud, quod exiſtit in loco: & quidẽ cũ locus circa corpus, quod ambit vndiq;, cõſideretur, ipſum verò corpus tres habeat dimẽſiones, locus, in quo corpus exiſtit, tres etiã magnitudinis differẽtias habebit: Differt ergo à ſuperficie. Secũdo quoq; differt, quia locus, quà locus eſt, forma eſt, cùm rem cõtineat, ſuperficiei verò nõ eſt cõtinere, ergo formæ rationẽ non habent.* *Vtrũ loc⁹ & ſuperficies differant. Titelmanus. Auguſt. nymph⁹. Noſtra ſẽtentia. Diſcrimẽ loci, & ſupficiei. 1 2*

*Circa eadem etiam rem alius ſcrupulus reſtat, qui quoſdã malè habet, ille eſt: quo pacto dicat Ariſt. Corpus eſſe huius prædicamẽti, ſi exiſtit etiã in categoria ſubſtãtiæ, nam ſubſtantia alia corporea eſt, alia incorporea. ſed corpus duobus modis accipitur, aut enim dicit rem trina dimenſione præditam, & hoc ſenſu pertinet ad ſubſtantiam, aut dicit magnitudinem abiunctam* *Secunda dubitatio quomodo corpus ſit huius prędicamẽti. Duobus modis corpus dicitur.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ab omni materia, quod fieri tantùm cogitatione poteſt: quo modo lineam intelligimus latitudine, & craſsitudine carere & ſuperficiem carere craſsitudine, quod re ipſa fieri non poteſt: hoc appellant corpus mathematicum. lib. ij. de Phyſica auſcultatione, & ſpecies eſt quantitatis.*

*Corp⁹ mathematicum.*

Amplius autem: Alia quidem conſtant ex partibus, quæ in eis ſunt, poſitionem habentibus ad ſe inuicem: alia autem ex non habentibus poſitionem. Vt lineæ quidem partes poſitionem habẽt ad ſe inuicem: ſingulum nanque eorum ſitum eſt alicubi, & habes vnde ſumas, & aſsignes vbi vnumquodque ſitum eſt in plano, & ad quam partem reliquarum copulatur. Similiter autem & partes plani poſitionem habent aliquam: ſimiliter nanque aſsignetur vnumquodque vbi iacet, & quæ copulantur ad ſe inuicem: ſed & ſoliditatis quoque ſimiliter & loci. In numero autem non poſsit quiſquam oſtendere, quemadmodum partes eius poſitionem aliquam habent ad ſe inuicem, aut vbi iacent, aut quæ partes ad ſe inuicem cõnectuntur: neque eæ quæ Temporis ſunt, nihil enim permanent partes temporis. Quod autem non eſt permanens, quomodo poſitionem aliquam habebit? Sed magis ordinẽ quẽdam particularum tempus habere dices, quòd aliud quidem prius ſit temporis, aliud verò poſterius. Sed & de Numero ſimiliter, eò quòd prius numeratur vnus, quàm duo, & duo quàm tria, & ſic habebunt aliquem ordinem, poſitionem verò non multum accipies. Sed & oratio ſimiliter, nihil enim permanent partes eius: ſed dictum eſt, & non poteſt hoc amplius aſſumi. Quapropter nõ erit vlla poſitio partium eius, ſiquidem nihil permanent. Igitur alia ex habentibus poſitionem partibus conſtant, alia ex non habentibus poſitionem.

*Secunda diuiſio quantitatis.*

*Quot ſint ſpecies quantitatis habentis poſitionem.*

*Paulò ſuperius (initio, inquam, ſermonis iſtius de quantitate) innuit Ariſt. duas quantitatis diuiſiones. Vna eſt quanti in cõtinuum, & diſcretum altera verò eſt, qua diuiditur quantum in illud quod partibus conſtat, quæ habent poſitionem ad ſe inuicem, & in quantum, quod ſimiles partes non habet. Priorem diuiſionem hactenus Ariſt. explicuit, nunc poſteriorem explanat, atque ita inquit: Quantitas duplex eſt, vna quæ conſtat partibus, quæ habent ad ſe inuicem poſitionẽ, altera, quæ minimè ſimilibus partibus cõſtat. Cùm ſint autem ſeptẽ formæ quãtitatis, vt mõſtratum eſt à nobis paulò ſuperius, prioris*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

prioris quidē generis quatuor illæ ſunt, Linea, Superficies, Corpus, & Locus: Poſterioris verò tres reliquæ, Tēpus, Numerus, & Oratio. Verùm, vt intelligat lector, quid ſit, alicuius quantitatis partes ſeruare inuicem poſitionem, in primis accipiendum eſt, quòd poſitio duobus modis vſurpatur. Interdum quidem poſitio ordinem ſignificat, quem partes in toto habent, atque etiam in loco: quo ſenſu poſitio pertinet ad prædicamentum Situs. Interdum verò poſitio, eſt partium ſeries in toto, nulla loci ratione habita: quo intellectu in præſentia poſitione vtimur. Deinde conſiderandum eſt, quòd, vt quantitas partes habeat ſeruantes inuicem poſitionem, tribus rebus opus eſt. Prima eſt, vt partes in loco ſitæ ſint. Deinde, vt non euaneſcant, ſed maneant. Tertiò, vt ſit mutua partium cōnexio. Quæ omnia lineæ, ſuperficiei, corpori, atque loco inſunt, vt planè conſtare poſsit diligenter rem volenti conſiderare. Si verò quantitati aliquid iſtorum deſit, non habebit poſitionem: ordinem autem quendam partium habere quidem poterit. Iſtius generis ſunt tempus, numerus, oratio. Nam tempus monſtrari non poteſt, neque partes habet ſimul conſiſtentes, cùm ſolùm poſsimus ex tempore ſumere, quod præſens eſt. Oratio prætereà tota ſimul non eſt, vt Ariſt. inquit. Nam quàm primùm prolatum quidpiam eſt eorum, quæ orationem conficiunt, illud amplius ſumere non licet: quia volat irreuocabile verbum. Partes etiam numeri poſitionem non ſeruant, quia licet ſitæ ſint in rebus, quæ numerantur, continuæ non ſunt, ſed diſcretæ potius, & ſeparatæ. Hæc verò etiam ſi poſitionem non habeant, ordinem quendam ſeruant, licet diuerſa ratione. Nam tempus, & numerus partibus conſtant, inter quas naturà ordo eſt: orationis verò partes ordinem ſeruant, non quidem naturalem, ſed quem nos illis exhibuerimus. in tempore enim prius eſt præſens, quàm aut præteritum, aut futurum. Similiter etiam in numero, nam binarius prior naturà eſt ternario, & reliquis numeris. Ex quibus omnibus planè conſtat, quatuor ſpecies quantitatis habere poſitionem. Tres autem illā nō habere, tempus, numerum & orationem, iſtarum verò tempus, & numerus, partes habēt, quæ naturà ordinem ſeruant. orationis verò partes partim ſeruant ordinem, partim

Poſitio bifariam vſurpatur.

Tria habere debet quantitas, quæ habet poſitionem. 1 2 3

Ordinem ſeruare. Tempus. Oratio. Numer⁹.

Ordinem ſeruare duob⁹ modis cōtingit.

Epilog⁹.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*tim non ſeruant. non ſeruant quidem naturalem ordinem, ſeruant autem quem nos cum orationẽ proferimus ſeruare partes volumus.*

Propriè autem hæc ſola quæ dicta ſunt, Quanta dicuntur: alia verò omnia ſecundum accidens. Ad hæc enim aſpicientes, & alia dicimus quanta: vt multũ dicitur album: eò quòd ſuperficies multa ſit, & actio longa, eò quòd tempus multum ſit, & motus multus. Neque enim horum ſingulum, per ſe quantum dicitur: vt ſi quis aſsignet quanta ſit aliqua actio, tempore definiet, annuam, vel ſic aliquo modo aſsignans: & album quantum ſit aſsignans, ſuperficie definiet: quanta enim fuerit ſuperficies, tantum album eſſe dicet. Quare ea ſola, quæ dicta ſunt, propriè & ſecundum ſeipſa dicuntur quanta, aliorum verò nihil per ſe, ſed per accidens.

*Tertia diuiſio.*

*Præſtantis artificis eſt propria ab improprijs & ſua ab alienis ſeparare, ne diſciplinæ cõfundantur. hoc facit in præſentia Ariſt. nã docet quæ ſint huius prædicamẽti. hoc eſt verè quãta. quæ non ſint huius categoriæ, neque omnino quãta ſed ex accidẽti, atq; ita ait, quantum eſſe duplex vnum per ſe, alterum per accidẽs. per ſe quãtum eſt quod ſuapte naturà eſt quãtum. id genus ſunt illæ ſeptem ſpecies quãtitatis quas paulò ſuperius numerauimus. per accidens verò quãtum eſt quod nõ ſuſcipit definitionem quanti, ſed alterius gratia quantum eſt, vel quia exiſtit in quãtitate vt album in ſuperficie, vel fit in quãtitate vt actio in tempore album enim per ſe quãtum non eſt ſed potius quale. nam albo nõ dicimur æquales vel inequales ſed ſimiles aut diſsimiles. eſt tamen quãtum ex accidenti, bicubitũ inquã aut tricubitum. quia exiſtit in ſuperficie duorũ aut triũ cubitorum. actio etiã quãta eſt ex accidẽti nõ natura ſua, quia fit ſpacio aut mẽſis aut anni. quod quidẽ actioni accidit. ergo quæ per ſe quãta ſunt huius prædicamenti ſunt, quæ verò ex accidẽti nõ huius quidem ſed alterius.*

*Per ſe quantũ.*

*Ex accidẽti quãtum.*

*Obiectio ꝙ tẽpus nõ ſit quãtũ per ſe. Soluitur.*

*Sed obijciet fortaſſe quiſpiam male nos appellare tempus quantũ per ſe & Ariſto. ſimiliter, cum cap. xiij. lib. v. de prima philoſophia motum atque tẽpus inter quanta per accidens referat. hic tamen ſcrupulus facile adimitur, ſi animaduertamus quantum bifariam conſiderari ab Ariſt. vno modo vt eſt per ſe diuiſibile, & cauſa cur cætera diuidantur. altero modo vt menſuræ rationem ſuſcipit, loco igitur*

citato

(c) 2007 Ministerio de Cultura

citato in prima philoſophia Ariſt. priori intelligentia quantum accipit, hoc loco poſteriori. ſic enim, eo loco quantum finit quod eſt diuiſibile in ea quæ inſunt quorum vtrunque vel vnumquodque aptum eſt eſſe vnum quid & hoc aliquid. quæ definitio lineæ ſuperficiei corpori numero atque loco ineſt. quorum ſingula in partes quæ inſunt diuiduntur. Sunt enim accidentia. & ſi in duas partes ſingula diuidãtur vel in plures duabus vnaquæque partium illarum apta eſt eſſe vnum quid & hoc aliquid, vt enim integra linea vnum quid eſt ita quoque ſingulæ eius partes. Sunt enim lineæ. & partes ſuperficiei ſuperficies partes corporis corpora, partes numeri numerus, modo primum excipias, denique partes loci locus. Tempus verò atque oratio nõ comprehenduntur iſta definitione oratio quidẽ quia eius partes neque inſunt alicui neque oportet eſſe orationes. Similiter partes temporis nulli inſunt. ergo cum lib. v. de prima philoſophia quantum cõſideret qua ratione diuiſibile eſt per ſe quantum erit per ſe diuiſibile. at tempus nõ eſt per ſe diuiſibile ſed motus gratia. motus verò cauſa magnitudinis ergo non ſine ratione Ariſt. eo loco tempus non refert inter quanta per ſe. quia verò hoc loco quantum conſiderat vt menſura eſt erit per ſe quantum menſura per ſe, quam obrem tempus per ſe quantum eſt quia natura ſua eſt menſura motus.

*Quãtum quid ſit libro. v. de prĩa philoſophia.*

*Tẽp⁹ per ſe indiuiſibile.*

*Per ſe menſura.*

Hactenus Ariſt. tres formas diuidendi quantitatem propoſuit atque illas explicuit iam nobis dubitationes quædam adducendæ ſunt atque etiam adimendæ anteaquam proprium quantitatis inquiramus. multum enim præſidij adferent propoſitis diuiſionibus intelligẽdis. Primum quidem quæſtio exiſtit cur Ariſt. nõ definit vniuerſam quãtitatem vt facit cum de qualitate diſſerit & de his quæ inuicem referuntur & dicuntur ad aliquid. ait quidam illam eſſe rationem cur Ariſt. non ſit vſus vna communi definitione quãtitatis quod nõ ſit eadem ratio menſuræ continui atque diſcreti ſed diuerſa potius. ſed ille ſanè nihil aſſerit. Primum quia rationem nõ reddit cur cõtinui atque diſcreti diuerſa ſit ratio menſuræ. deinde quia ſi proprium quanti vniuerſi eſt menſuram eſſe proculdubio cõtinuo atque diſcreto æqualiter inerit vt riſibile hominibus ſingulis. quare exiſtimandum

*Quæſtio cur nõ tradit vnam finitionẽ vel deſcriptionẽ vniuerſæ quãtitatis.*

*1. Opinio.*

*Refellit.*

*1*

*2*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Soluitur quæſtio.* dum eſt ideo factum eſſe quod facilius ſingulæ ſpecies finiãtur quàm genus lib. ij. de poſteriori reſolutione. imò verò cum quantitas ſupremum genus ſit exactam definitionem non habet. communis verò deſcriptio quantitatis nulla paſsim ferebatur qua vti poſſet, ferebatur autem deſcriptio qualitatis & relatorum quibus Ariſt. vſus eſt vel vt doceret auditores vel vt eaſdem corrigeret, facile autem confingi poteſt communis deſcriptio quãtitatis hoc modo. quantitas eſt ſecundum quam aliquid dicitur æquale vel inæquale. Cum ergo non eſſet vna vniuerſæ quantitatis finitio, diuiſit prius quantitatem philoſophus vt ſingularum partium finitionem traderet, neque vna contentus diuiſione tres nobis exhibuit quarum caput eſt vniuerſa quãtitas. Vniuerſa enim aut continua eſt aut diſcreta. Vniuerſa item aut poſitionem habet aut non habet. Vniuerſa rurſum aut per ſe eſt aut ex accidenti. Iſtum verò ordinem iure optimo ſeruat Ariſt. nam ſecunda diuiſio priori opus habet vt intelligi poſsit. Tertia verò duabus antecedentibus, in ſecunda enim diuiſione continuum ſumitur. nam neceſſe eſt vt continuo partes inſint quæ poſitionem ſeruare debent. at tertia diuiſio duabus prioribus indiget.

*Nulla paſsim cõmunis ferebatur finitio quantitatis.* *Deſcriptio quantitatis.* *Tres diuiſiões quãti.* *Ratio ordinis in his diuiſionibus.*

*Quales ſint iſtæ diuiſiões.* Prima diuiſio generis eſt in ſpecies quia continuum & diſcretum ſpecies quanti ſunt. Secunda eſt, generis in propria. Tertia accidẽtis: nam habere poſitionem & non habere vel ſunt differentiæ quantitatis vel propria, per ſe verò aut per accidens accidit quanto.

*Quæſtio.* Poſtremò loco quæſtio exiſtit cur Ariſt. cum formas aut ſpecies quanti refert, præfert continuum diſcreto, dicens, quanti aliud continuum aliud diſcretum. At verò cum explanat vtrunque cõtrariam rationem ſequitur. prius enim explicat diſcretum, quàm continuum. Ait quidam eam eſſe huius conſilij rationem, quia cum quãtitatem diſtribuit Ariſt. quantitatem accipit vt diuidi poteſt, cum verò illuſtrat exemplis partes quantitatis quãtitatem accipit. vt menſuram, atqui ſi vt diuidi poteſt quantitas conſideretur continuum, inquit, prius diſcreto eſt. Fit enim diſcretum, diuiſo continuo ſi vt menſura prius diſcretum eſt, quàm continuum, hoc probat quoniam continuũ in ratione menſuræ ad diſcretum refertur. Omne enim quod menſu-

ratur

*ratur autore Ariſt. quinto metaphiſico. ad vnitatem pertinet. quare & ad numerum nam vnitas principium numeri eſt. verũtamen huius autoris ſentẽtia mihi nũquam probari potuit. nulla enim ratione fulcitur & falſa multa inculcat. in primis quis eſt tam plumbeus qui Ariſt. credat tam paucis verbis & tam breui oratione quantitatis intellectum mutaſſe, & cum quãtitate vtatur in præſenti capite vt menſura ſubſtãtiæ eſt, cur initio diuiſionis aliter vſurpat quãtitatẽ. deinde ſimpliciter falſum illud eſt quod aſſumit, diſcretũ fieri ex diuiſione cõtinui, cum multa diſcreta ſint quæ nunquã connexa fuerũt, id genus eſt numerus plurium hominum aut equorum aut leonũ. præterea illud abſurdum eſt rationem menſuræ prius accõmodari diſcreto quàm continuo nam proprium equaliter, atque ſimul ineſt omnibus rebus quarum ponitur proprium. vt exemplis conſtare facile poſſit. atqui menſuram eſſe, proprium eſt quantitatis vniuerſæ ergo non prius ineſt neque magis diſcreto quàm cõtinuo ſed ſimiliter atque pariter vtrique parti quantitatis.*

*Refellitur hæc ſentẽtia.* 1 2 3

*Sententia verò Ariſt. aſſerentis omne quod menſuratur tandem referri ad vnitatem diſtinctione explicãda eſt. nam vnum interdum accipitur pro eo quod eſt numeri principium. cap. xv. lib. v. de prima philoſophia quo loco ait Ariſto. ipſum vnum numeri principium eſt atque menſura interdum verò vnum dicitur quod certum eſt quod definitũ, vt multa ſunt quæ indefinita atq; incerta. cum ergo Ariſt. inquit. omnem menſuræ rationem reduci ad vnum, vnum non accipit quidem vt eſt principium numeri. hoc conſtat quia ſi omnes menſuræ ad vum numeri principium reducantur ipſum vnum maxime quantum erit quia maxime habet menſuræ rationem. quod falſum eſt, & cum pãnum metimur non reducimus mẽſuram ad vnũ diſcretum ſed cõtinuum nempe ad vlnã &c. Reducitur autem omnis menſura ad vnum, id eſt certũ, quia per certa incerta cognoſcũtur. hoc autem caſu potius quàm conſilio factum eſt neque eſt tam anxie atque ſolicite ratio inquirenda iſtarum rerum quarum cauſa difficile inueniatur & poſtquã inuenta ſit nihil poſſit emolumenti adferre.*

*Quo ſenſu accipienda ſit ſententia Ariſt. dicẽtis, omnem menſuram ad vnitatem reduci.*

*Sentẽtia*

Amplius: Quantitati verò, nihil eſt contrarium. In definitis enim



(c) 2007 Ministerio de Cultura

manifeſtum eſt, quoniam nihil eſt contrarium: vt bicubito, vel tricubito, vel ſuperficiei, vel alicui talium: nihil enim ipſis eſt contrarium.

*Poſtquam recenſuit Ariſtot. tres diuiſiones quãtitatis atque ſpecies omnes quanti per ſe, more ſuo, quanti proprium inquirit, quo & agnoſcatur quãtum, atque illud à cæteris generibus diſtingamus. ea tamen prius enumerat atque refert quæ falſo quidã quãti propria putauerũt. quæ licet cõmunia ſint veluti manuducunt in cognitionẽ eius quod maximè propriũ quãtitatis eſt, atq; ita ĩquit, amplius quãtitati autẽ nihil eſt cõtrariũ, rẽ probat Ariſt. inductione atq; exẽplo eius quãtitatis quæ definita eſt. duplex enim quãtitas eſt vna definita quãtitas eſt quæ circũſcripta eſt quibuſdã finibus vt bicubitũ tricubitũ. ĩfinita verò quæ nullis finibus circũſcripta eſt, vt magnũ paruũ.*

Duplex quãtitas.

Niſi quis fortè dicat, multum pauco eſſe contrarium, vel magnum paruo. Horum autem nihil eſt quantitas, ſed magis ad aliquid. Nihil enim per ſeipſum magnum, vel paruum dicitur, ſed eò quòd ad alterum refertur: vt mons quidem paruus dicitur, milium verò magnum, eò quòd hoc iis quæ ſunt ſui generis, maius ſit: illud iis, quæ ſui ſunt generis, minus, ergo ad aliud eſt eorum relatio. Nam ſi per ſeipſum magnum, vel paruũ diceretur, nunquã mons quidẽ aliquãdo paruus, milium verò magnũ diceretur. Rurſus in vico quidem plures homines eſſe dicimus, Athenis verò paucos, cùm ſint illis multò plures: & in domo quidem multos, in theatro verò paucos, cùm ſint plures. Ampliùs: Bicubitum verò, & tricubitum, & vnumquodque talium, quantitatẽ ſignificat: magnum verò, vel paruũ non ſignificat quantitatẽ, ſed magis ad aliquid, quoniam ad aliud conſideratur magnum & paruum: quare manifeſtum eſt, quoniam hæc ad aliquid dicuntur.

*Deinde diluit quãdam obiectionẽ: poſſet enim quiſpiã dicere magnũ & paruũ multum & paucũ quãta eſſe, magnũ quidem & paruum cõtinua, multum & paucum, diſcreta. & tamen vnum alteri eſſe cõtrarium. dum autem hoc facit accurate examinat vtrum hæc verè & propriè quanta ſint. quã rem in ſermone de quantitate explicare cœperat. dubitationẽ verò propoſitã duplici ratione diſſoluit. primum quidẽ inſtantia, dicens hæc non eſſe quanta. atque ideo licet contraria ſint non repugnare propoſitæ ſentẽtiæ deinde fiduciaria vtitur reprobatione. fatetur enim quãta illa eſſe, at nõ eſſe cõtraria.*

*Quæſtio vtrùm magnum & paruũ quanta ſint.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Primum ergo cum obijcitur hæc eſſe quanta negat Ariſto. ſunt enim ad aliquid, hoc probat iſto argumento, ad alterum illa ſunt quæ alterum reſpiciũt, & vno poſito ponitur alterũ ſublato vno alterum aufertur, huiuſmodi ſunt magnũ paruum. paucum multum ergo ſunt ad aliquid cõſequentia legitima eſt, & maior plane conſtabit proximo capite & exẽplo patris & filij dupli & dimidij, minor probatur, nam magum ad paruũ dicitur & multũ ad paucũ. atque vno ſublato aufertur alterũ multũ enim nõ dicitur per ſe neq; etiã magnũ ſi enim per ſe diceretur, nõ appellaretur mons paruus, milium magnũ, neque in vico diceremus eſſe multos homines, in ciuitate paucos: dicitur autem mons paruus reſpectu maioris, milium magnum reſpectu minoris. in vico dicimus eſſe multos homines, quòd olim pauciores fuerint, vel comparatione alterius vici in ciuitate paucos, quòd plures olim ad fuerint, aut cõparatione facta ad aliã ciuitatẽ ampliorem, quare hæc ſunt ad alterũ, nõ ſunt quãtitatis, alioqui cõcedamus, neceſſe eſt, idẽ eſſe prædicamẽtum quãtitatis, & ad aliquid, quæ ſunt quidẽ diuerſa maxime. Deinde quæ propriè quãta ſunt, ſignificãt, quãtum illud ſit, circa quod verſantur, hæc nõ explanãt, ergo hæc quãta nõ ſunt. Sillogiſmus legitimus eſt in ſecũdo modo ſecũdæ figuræ: vtraq; pars antecedẽtis vera eſt, ergo & cõcluſio. primũ quidẽ vera eſt minor propoſitio, quia magnum, & paruum infinitũ aliquid, atque incertum ſignificant, neque dicunt quid illud ſit, circa quod verſantur, maior propoſitio ſimiliter vera eſt, & inductione ſingularum formarũ quantitatis monſtrari poteſt, omnes enim definitæ ſunt, & dicunt quantum illud ſit, circa quod verſantur, aut enim indiuiduæ quantitates ſunt, aut ſpecies ſi indiuiduæ, vt hæc linea, hæc ſuperficies, & cætera, proculdubio oſtendunt, quantum illud ſit, quod ſignificant. ſpecies etiam ipſæ aperte hoc indicãt. nam qui lineam dicit, longum dicit ſine lato, & profundo qui ſuperficiem, longum, atque latum ſine profundo qui corpus, longum, & latum, & profundũ, atque in cæteris ſimili modo.*

*Hæc quãta nõ ſũt.* *Syllogiſmus.* *Maior.* *Inductione rẽ monſtrat.*

*Sed obijciet aliquis falſam eſſe iſtã philoſophi ſentẽtiã. nã cõtinuũ, & diſcretũ, quãtũ dicũt, at nõ determinatũ: itẽ tẽpus, & numerus. Secũdo infinitũ, quãtum eſt, ſed determinatũ nõ eſt, aut definitũ.*

*Prima obiectio.* *Secunda obiectio.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Soluitur vtraq; dubitatio.*

*Vtraq; dubitatio facilè diſſoluitur: nihil eſt enim eorũ, quæ diximus, & quæ ad quãtitatem referũtur, quod nõ ſit aliquo modo determinatũ. Intereſt tamen, quia in quibuſdã apertior determinatio, aut definitio quãtitatis eſt, quàm in alijs. indiuidua enim maximè ſunt determinata, vt conſtat, poſt indiuidua ſpecies, poſtremo loco genera, ergo quoniam obſcurior eſt definitio, ſeu determinatio quãtitatis in genere, quàm in ſpecie, fit, vt hæc nõ videantur eſſe determinata, aut definita: reuera tamen definita ſunt. Nam qui continuum dicit, quãtum dicit, cuius partes ad communem terminum copulantur: contrà verò qui diſcretum nominat. At qui magnum dicit, nihil quidpiam definitum pronuntiat: nam magnum non dicitur, quod aliud exuperat, vt mons magnus: nam idem mons paruus etiam appellatur altioris comparatione, conſequitur ergo, magnum & paruum nil dicere definitum, ſeu determinatum: non enim explicãt definitè quid illud ſit, circa quod verſantur, vt cætera. nam & ipſum infinitũ, quod ad quantitatem pertinet, quadã ratione finitũ eſt: quia vnũ eſt, atque illud dicit, quod fine vocat: vera eſt igitur hac parte Ariſt. ſententia.*

*Oẽs quantitates reuera ſunt definitæ.*

*Infinitũ.*

Amplius: Siue aliquis ponat qnantitates eſſe hæc, ſiue non ponat, nihil illis contrarium eſt, quod enim non poteſt ſumi per ſeipſum, ſed ad ſolã alterius relationẽ refertur, quomodò huic aliquid erit cõtrariũ?

*Diximus paulò ſuperius duplici argumento diſſolui propoſitam obiectionem. Hactenus explicuimus primum, hoc eſt, inſtantiam, nũc alterum explicat Ariſtoteles, fiduciariam, inquam, reprobationem: accipit enim philoſophus hæc ipſa quanta eſſe, negat tamen eſſe contraria, quod duabus rationibus demonſtrat. Vna ita colligitur: cõtraria abſolutam habent naturam, atque ſubſtantiam, neque reſpiciunt aliud, magnum, & paruum, multum, & paucum non habent abſolutam naturam, & quæ aliò non referatur, ergo contraria non ſunt. legitimus eſt ſyllogiſmus in ſecundo modo ſecundæ figuræ, & maior inductione probatur: album enim, atque nigrum, dulce, amarum, graue, leue, & cætera ſimiliter, naturam ſingula per ſe abſolutã habent, neque vnũ reſpicit alterũ, ſed per ſe ſumi poteſt. Minor cõſtitit paulò ſuperius: nam magnũ refertur ad paruum, multũ quoque ad paucum.*

*Secunda ratio diluẽdi propoſitã dubitationẽ Syllogiſmus.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Amplius: Si magnum & paruum ſunt contraria, continget idem ſimul contraria ſuſcipere, & ea ipſa ſibimet eſſe cōtraria: cōtingit enim ſimul idem paruum eſſe, & magnum: eſt enim ad hoc quidem paruū, ad aliud verò idipſum magnum: quare idem & paruum & magnum eodem tēpore eſſe contingit: quare ſimul contraria ſuſcipit. Sed nihil eſt quod videatur ſimul contraria ſuſcipere poſſe. Vt in ſubſtantia quidem, ſuſceptibilis enim contrariorum eſſe videtur: ſed nullus ſimul ſanus eſt, & ęger: neque albus, & niger eſt ſimul: nihilque aliud ſimul cōtraria ſuſcipiet. Et eadem ſibiipſis continget eſſe contraria: nam ſi eſt magnum paruo contrarium, ipſum autem idem ſimul eſt magnum & paruum, ipſum ſibi erit contrarium: ſed impoſsibile eſt aliquid ſibiipſi eſſe contrarium: non eſt igitur magnum paruo contrarium, neq; multum pauco. Quare vel ſi non ad aliquid hæc quis dicat, ſed quantitatis, nihil contrarium habebunt.

*His verbis ſecundam rationem explicat, qua perſuadet, hæc non eſſe contraria: ratio verò deducit ad impoſsibile, & ita colligitur: Cōtraria neque ſimul in eodem exiſtere poſſunt, neque idem ſibi eſſe cōtrarium, ſed ſi magnum, & paruum eſſent contraria, contraria in eodem exiſterent & idem ſibi contrarium eſſet, ergo hæc nulla ratione contraria putari poſſunt. Syllogiſmus efficax eſt. maior inductione probatur: nihil eſt enim quod eodem tempore duo contraria ſuſcipiat. Nam ipſa etiam ſubſtantia, quæ natura ſua contrariorum eſt capax, nunquam ſimul contraria habet: nam idem homo eodem tempore non eſt cādidus, atque ater, ſanus, & æger. Ratione quoque monſtratur: quoniam duo contraria ſuapte natura pugnant inter ſe, & capitales inimicitias gerunt, ergo non poſſunt ſimul in eodem exiſtere: quinimò vnum alteri exitium parat. Minor etiam cōſtat, nam idem dicitur magnum, atque paruum: verbi gratia, mons magnus reſpectu minoris, & paruus maioris comparatione: & cùm idem magnum, & paruum ſit, ſi ſunt hæc contraria, idem ſibi contrariū erit, quod maximè abſurdum eſt, cùm contrariorum non ſit eadem, ſed diuerſa potius ratio: quare neque verè contraria ſunt hæc, neq; verè quanta, ſed ſunt ad aliquid, vt colligitur argumētis à nobis hactenus explicatis. Sunt autem hæc ad aliquid, exiſtunt tamen in quanto, vel*

*Syllogiſmus.*

*Cōtraria ſimul non poſſunt exiſtere in eodē.*

1

2

*Idem eſt magnū, atque paruum.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Iſtæ habitudines vbinam exiſtant. Craſſum, & tenue.

continuo, vel diſcreto: atque ideo quodam modo pertinere videtur ad quantitatem per accidens videlicet, quia quantum, multum, & paucum admittit, per ſe autem quãta non ſunt. Quod vero de magno, & paruo diximus, referẽdum eſt etiam ad craſſum, & tenue, anguſtũ, & latum quia hæc ad aliquid ſunt, & in quantis verſantur. Verum igitur eſt, quod Ariſt. inquit, Quantitati nihil eſſe cõtrarium: atque hoc ipſum omni ineſt quantitati.

Prĩa obiectio cõtra iſtam ſententiam. Soluitur

Aduerſus iſtam ſententiam ſic obÿcio: Quantitati ineſt contrarium, ergo quod Ariſt. teſtatur hoc loco, falſum eſt. Antecedẽs probo, nam linea quanta eſt, rectæ tamen lineæ linea curua contraria eſt. Dicendum eſt, neque lineam lineæ contrariam eſſe, neque lineæ quidpiam aliud, ſed rectum curuo, rectum verò, & curuum inſunt lineæ, atque ideo ratione iſtorum linea videtur habere contrarium.

Secunda obiectio. Soluitur

Secundò ſic obÿcio, Superficies, alia candida, nigra alia, candidum verò & nigrum contraria ſunt, ergo quantitati ineſt contrarium. Dicendum eſt ſuperficiei, quà eſt ſuperficies, nihil contrarium eſſe, ratione vero accidentiũ contrariorum, quibus afficitur, contraria putatur, atque ex accidenti, per ſe minimè.

Tertia obiectio. Soluitur

Incorporeum.

Tertio corpus quantum eſt, ſed cõtrarium habet incorporeum, ergo quantitati contrarium ineſt. Dicendum eſt, Incorporeum nõ eſſe contrarium corpori, quia contraria formam ſignificant, non priuationem, incorporeum verò priuationem corporis dicit, aut ſi formam ſignificat, corpori contraria non eſt, quoniam vtrunque eſt ſubſtãtia, contraria verò accidentia ſunt.

Quarta obiectio.

Dies nox

Quarto, tempus habet contrarium, nam dies, & nox tẽpus ſignificant, & vnum alteri contrarium eſt. Dicendum eſt, quòd tempus, vt tempus eſt, contrarium non habet: nox autem, & dies vel non ſignificant propriè tempus, ſed potius ſubſtãtiam, eſt enim dies, aër lumine illuſtratus, nox verò aër lumine vacans: vel ſi tẽpus ſignificent, contraria non ſunt, ſed priuantia.

Quinta obiectio. Soluitur

Quintò, orationi ineſt contrarium, alia enim vera eſt, alia falſa, verum autem, & falſum contraria ſunt, ergo quantũ habet contrariũ. Dicẽdum quòd, hæc non ſunt cõtraria, ſed ad aliquid potius, cùm



vera

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*vera ſit propoſitio, quæ rei reſpōdet, falſa, quæ minimè. Vel potius dicendum eſt, quòd oratio duobus modis ſumitur, aut vt ſignificat, aut vt profertur: vt ſignificat quidē, verū, vel falſum in ſe habet: ſed non eſt præſentis cōſiderationis, vt autē in prolatione conſiſtit, & ſyllaba breui, aut longa menſuratur, quantum diſcretum eſt: ſed neque verum, neque falſum in ſe habet, quare neque contrarium ſuſcipit.* 2 *Oratio.*

Maximè autem circa locum eſſe videtur contrarietas quantitatis: ſurſum enim ei, quod eſt deorſum, contrarium ponunt, locum qui in medio eſt deorſum dicentes, eò quòd plurima diſtantia eſt medietatis ad mundi terminos. Videntur & aliorum contrariorum ab his afferre definitionem: quæ enim plurimum à ſe inuicem diſtant ſub eodem genere, contraria eſſe definiunt.

*Adducit his verbis Ariſt. quandam aliam obiectionem aduerſus propoſitam ſententiam. Illā verò perplexè admodum, atque obſcurè diſoluit. Obiectio eſt: Locus, eſt ſpecies quanti, ſed locus contrarium habet, ergo contrarium quanto ineſt. Syllogiſmus legitimus eſt in quarto modo tertiæ figuræ. Maior aperta eſt Ariſt. opinione, minor probatur à definitione contrariorum ſumpto argumento; contraria enim ſunt, quæ ſub eodem genere poſita maxime diſtant: huiuſmodi ſunt ſurſum, atque deorſum, nam ponuntur ſub loco, & diſtant maxima diſtantia, quoniam terra, verbi gratia, quæ deorſum eſt, à quouis mundi termino diſtat diametri ſpacio, quæ plurima diſtantia eſt. Iſtam dubitationem, vt dixi, obſcurè admodum ſoluit in præſentia: Verùm ſi nos rem ipſam attentis animis contemplemur, reperiemus hæc non eſſe omnino contraria ſed potius ad aliquid. In hac ſententia ſunt Porphirius, & Hammonius commentarijs in hunc locum, præterea Boetius. Illud ita probatur, quoniam ſurſum, atque deorſum non ſunt in natura rerum, ſed circa medium, contraria verò circa aliud non ſunt, ſed in alio. Deinde ſi contraria eſſent in eodem, eſſent duo contraria ſimul, atque eadem ratione, nam ſuperficies terræ ſuperna, reſpectu cœli ſurſum eſt, reſpectu infernæ ſuperficiei deorſum. Herminius grauis autor ait, Surſum, & Deorſum non ſignificare locum, ſed Vbi, id eſt, rem*

*Obiectio, quā Ariſto. adducit.*

*Cōtraria.*

*Surſum, & deorſum relata ſunt.*

*Porphir.*

*Hammonius.*

*Boetius.*

*Herminius.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*in loco exiſtentem: vt heri, & cras, non ſignificant tempus, ſed quando, id eſt, rem, quæ exiſtit in tempore: nihil autem prohibet, circa locum verſari contraria: loco autem ineſſe contrarium non poteſt.*

Non videtur autem quantitas ſuſcipere magis & minus, vt bicubitum, neque enim aliud eſt alio magis bicubitum: neque iu numero, vt tria quàm quinque nihil magis dicũtur, vel quinque magis quàm tria: nec tempus aliud alio magis & minus dicitur tempus: nec in vllo eorum, quæ dicta ſunt, omnino magis & minus dicitur: quare quantitas non ſuſcipit magis & minus.

*Proponit proprium aliud quantitatis Ariſt. illud eſt, quòd quantum nõ ſuſcipit magis, aut minus. Rem inductione probat: nam vna linea nõ eſt magis linea, quàm alia, nec vnũ bicubitum magis, quàm aliud eſt bicubitum, & in cæteris pari ratione.*

*Habere contrariũ & dici magis, atque minus.*

*Ratio vero cur Ariſt. vbi dixit, Quantum non habere contrariũ, addat, Neque ſuſcipere magis, neque minus, eſt: quia iſta duo mutuò ſe cõſequuntur, Habere contrarium, & ſuſcipere magis, vel minus, non habere contrarium, & nõ ſuſcipere magis, neque minus. Huius rei cauſa eſt, quia magis, & minus maximè conſtant permixtione contrariorum: vt enim Ariſt. ait. ij. Topi. & nos dicemus in ſermone de qualitate, magis talia dicuntur, quæ ſunt minus permixta contrarijs, vt magis album, quod minus eſt permixtum nigro, minus album, quod magis. Deinde conſiderãdum eſt, quòd tametſi hæc, quæ diximus, nõ ſunt omnino propria quantitatis, Ariſt. reprehendi non debet, quòd non dixerit, hoc non ineſſe omni quantitati: quoniam capite proximo dixerat ineſſe etiam ſubſtantiæ: illa enim neque contrarium habet, neque magis, aut minus ſuſcipit,*

*Ratio.*

*Obſeruatio.*

Proprium autem maximè quantitatis eſt, quod æquale, & inæquale dicitur. Singula quæque enim earum, quæ dictæ ſunt, quantitatum, æqualis, & inæqualis dicitur: vt corpus, æquale, & inæquale dicitur: & numerus, & tempus, æquale, & inæquale: & oratio, æqualis, & inæqualis: ſimiliter autem & in aliis, quæ dicta ſunt, vnumquodque æquale, & inæquale dicitur. In cæteris verò quæ quantitates non ſunt, non multũ videbitur æquale, & inæquale dici: vt diſpoſitio æqualis, & inæqualis non multum dicitur: ſed magis ſimilis, & diſsimilis: & album æquale &

(c) 2007 Ministerio de Cultura

le & inæquale non multũ dicitur, ſed ſimile, vel diſsimile. Quare quã-titatis maximè ſit proprium, æquale & inæquale d ci.

*Quæ hucuſque tradidit Ariſt. non ſunt propria quanti, ſed communia: nunc maximè proprium refert. Illud eſt: quòd quantum dicitur equale, vel inequale, adde etiam par, vel impar, vt priora ad continuum referantur, poſteriora ad diſcretum, quanquam priora etiam de diſcreto dicuntur. Vna enim quantitas alteri æqualis eſt, vel inæqualis, vt linea lineæ, ſuperficies ſuperficiei, corpus corpori, numerus numero, orationi oratio: & quæ quanta non ſunt, ſi æqualia, aut inæqualia nominentur, ratione quantitatis id habent, vt duo homines æquales ſunt, quia æquè longi ſunt: duæ orationes æquales, quia tempore fiunt æquali: hoc ineſt omni quantitati, vt inductione probatũ eſt: item etiam ſoli quantitati: nam cætera non æqualia, aut inæqualia dicuntur, ſed ſimilia, aut diſsimilia, aut alio quopiam modo comparantur. Equalia enim ſunt, vt Ariſt. inquit cap. xv. lib. v. de prima philoſophia, quorum quantitas eſt vna, inæqualia verò, quorum eſt diuerſa.*

Par, vel impar.

Omni ineſt quantitati.

Soli.

*Aequalia quæ-nã ſint.*

*Quanquam autem quantitatis proprium ſit, cauſam eſſe, cur aliquid ſit extenſum, & cur diuidi poſsit, & rurſum menſurã eſſe ſubſtantiæ, (hæc enim omni, & ſoli quauto inſunt) Ariſt. Aequale, vel inæquale dici proprium quanti vocat, quoniam poſtremo ineſt quanto, & vbi hoc adeſt, cætera quoque adſunt.*

*Propria quantitatis.*

*Scio quoſdam hoc loco vertere in quæſtionem, vtrùm quantitas diſtinguatur à re quanta, & de ea re diſputare etiam illa, quæ ad altiſsimam theologiam pertinent, neſcio quo conſilio. Sed quoniam teneri auditores tam perplexam, & parùm frugiferam diſputationem non ſatisferre poſſunt, conſultò eandem prætermiſsimus. dabitur aliquãdo locus (deo volente) de eadem commodius, hoc eſt, ſuo loco diſſerendi. Nunc ad cætera contendamus. nam nobis illud nouiſſe ſatis erit in præſentia, vt cathegorias diſtinguamus, aliam eſſe rationem quantitatis, aliam qualitatis, ſubſtantiæ aliam: quod nemo ſanè, qui ratione, atque iudicio valet, negare audebit.*

Q In hoc

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Quæ nã exiſtant In iſta cathegoria.* *In hoc autem prædicamento multa ponuntur, quæ nos omnia in compendium redigemus. Primum quidem in eo exiſtunt magnitudines omnes, ut Linea, ſuperficies, Corpus.*

*Primò.* *Deinde nomina illa, quæ magnitudinum affectiones verè in ſe ſuſcipiunt, vt, diameter, pes, &c.*

*Secundò.* *Sub qua iſta ſpecie collocentur.* *Sed quæres ſub qua ſpecie collocentur Neq; enim facile omnino eſt hoc explicare, adhibenda tamen diſtinctio eſt: nam aut conſiderantur, vt recta, aut vt obliqua, & hoc ſenſu ad lineam referuntur, vt Diameter pes, Vlna, Stadium, Leuca, Milliare, Arcus, Spira. Si verò conſiderentur, vt planum, aut flexuoſum, ad ſuperficiem ſpectant, vt Area, Campus, Teſtudo, Camera. Si vt habent affectionem corporis, ad corpus, vt Globus, Pila, Cylindrus.*

*Tertiò.* *Tertio nomina menſurarũ, quibus liquida metimur, vt Amphora, Congius, Sextarius, Et quibus metimur arida, vt Modius.*

*Quartò.* *Et nomina ponderum, vt Quadrans, Talentum.*

*Quintò.* *Et nomina numeralia, vt duo, tria, & cetera, cuiuſcunq; illa generis ſint.*

*Sextò.* *Omnis præterea locus, atque eius partes.*

*Septimò.* *Poſtremò tẽpus, & partes eiuſdem, Annus, Dies, Menſis, Luſtrũ, Olimpias, Sæculum: hæc verò omnia præſens tabula ante oculos ponet.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

- Quãtitas.
  - Continua
    - Linea
      - Recta Vlna Diameter
      - Curua Arcus Spira
    - Superficies
      - Plana Campus
      - Flexa Camera
    - Corpus
      - Rotũdum Globus
      - Angulare Pyramis
    - Tempus
      - Præteritum
      - Inſtans
      - Futurum
    - Locus
  - Diſcreta
    - Numerus
      - Abſolutus
        - Par Binarius
        - Impar Ternarius
      - Relatus Duplus Triplus
      - Figuratus, trigonus, tetragonus
    - Orõ verſatur
      - In cõpoſitione, dactilica, ſpõdaica.
      - Cantu
        - Diapente
        - Diateſſaron
      - Verſu
        - Exametro
        - Pentametro.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

## ¶ *Argumentum capitis eorum, quæ ſunt ad aliquid.*

*Poſtquàm Ariſto. ſubſtantiam, & quantitatem explicuit pergit explanare ea, quæ ſecundum relationem dicũtur, quæ ob eam cauſam ad aliquid appellantur: cùm vellet autẽ finitionem inquirere peculiarem his, quæ ſunt ad aliquid, & vulgò circunferretur relatorum deſcriptio, non omnino tamen exacta, cùm complectatur etiam quæ exiſtunt in alijs prædicamentis, primùm omnium ſtudet illam refellere, tanquàm ineptam, & minimè accõmodatam propoſito negocio, vt propriam aſsignet. Ne tamen videatur aduerſus antiquitatem aperto marte pugnare, atque eius labefactare ſententiam, præſertim Platonis, præceptoris ſui, quem ferunt autorem huius deſcriptionis fuiſſe, (parentibus enim: & præceptoribus laborare quiſque debet, vt ſe gratum exhibeat) proponit ſtatim communem illam deſcriptionem, atque ea ſubiungit, quæ conſequuntur eandẽ: ducit deinde eiuſdem finitionis autores ad abſurdum, vt oſtendat nulla ratione, quæ paſsim ferebatur, ferendam eſſe: poſtremò addit maximè propria eorum, quæ ſunt ad alterum, quibus cognitis facilè quiuis poſsit intelligere, quo pacto relata finienda ſint, quorum Ariſt. finitionẽ tradit.*

*Antiquitatis maxima ratio habenda eſt.*

## ¶ Caput de his, quæ ſunt ad aliquid.

AD aliquid verò talia dicuntur, quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud. Vt maius hoc ipſum quod eſt altero dicitur, aliquo enim maius dicitur: & duplum alterius dicitur hoc ipſum quod eſt, alicuius enim duplum dicitur: ſimiliter autem & alia quæcũque ſunt huiuſmodi. At verò ſunt etiam & hæc ad aliquid, vt habitus, diſpotio, ſciẽtia, ſenſus, & poſitio. Hæc enim omnia, quæ dicta ſunt, hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, & non ad aliud quidã. Habitus enim alicuius habitus eſſe dicitur, & ſcientia alicuius ſcientia, & poſitio alicuius poſitio: & alia quidẽ ſimiliter. Ad aliquid igitur ſunt, quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud: vt mons magnus dicitur ad alium montem, magnum enim ad aliquid dicitur: & ſimile alicui ſimile dicitur, & cætera talia ſimiliter ad aliquid dicuntur.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

PRima ſtatim quæſtio eſt. cur poſt quantum inſtituerit Ariſt. agere de his, quæ ſunt ad aliquid, ac non potius de qualitate. Dubitãdi ratio inde ortum habet, quòd qualitas natura hijs, quæ ad aliquid ſunt, & prior eſſe videtur, & nobilitate eandẽ anteire: nam quæ per ſe ipſa ſunt, priora ſunt, atque etiam præſtantiora hijs, quæ exiſtunt in alijs, cùm illis opus habeant, vt ſint: ſed qualitas per ſe eſt, nulloque alio indiget, vt ſit, præter ſubſtãtiam, quare prior eſt, atque præſtantior, quam quæ ſunt ad aliquid: nam hæc, vt ſint, aliquo alio indigent, ergo qualia priora ſunt, quàm relata, atque ideo de illis prius agẽdum videtur. Item fundamentum prius eſt, quam id, quo nititur, ſed quædam relationes in qualitate ſunt, putà ſimile, & diſsimile, ergo omnino qualitas prior eſt, quàm quæ ſunt ad aliquid. Ad iſtam dubitationem dicendum eſt, Ariſtotelem iure optimo præpoſuiſſe relata quantitati duplici ratione. Vna ratio eſt, quia cognitio relatorum neceſſaria eſt, vt intelligamus ea, quæ de quantitate ſcripta ſunt: meminit enim Ariſt. eo loco relatorum, Cùm obiectionẽ dilueret adductam de magno, & paruo, multo, & pauco. Altera ratio eſt (vt Porphirius ait) quoniam eſſe ad alterum magis coniunctum eſt ſubſtantiæ, quàm qualitas: nam quàm primùm longum aliquid eſt, aut latũ, aut profundum, æquale dicitur, aut inæquale, hæc verò dicuntur ad alterum: quam obrem & natura, & docendi ratione relatorum conſideratio qualitatem debuit antecedere.

*Cur poſt quantum collocentur relata.*

*Ratio.*

*2 Soluitur dubitatio propoſita.*

*Prima ratio.*

*Secunda ratio.*

Titulus huius capitis, aut inſcriptio illa eſt, τῶν πρός τι vulgò vertitur, eorum quæ ſunt ad aliquid. Quæ ſanè loquendi forma, tanquam barbara, reijcienda non eſt, cùm eadem ſæpenumero Quintilianus vtatur, ſummus artifex benedicendi: quanquam rectè poſsis vertere hoc modo: de his quæ cum aliquo conferuntur. Conſiderandum tamen eſt, quòd licet ſubſtantiæ, & quantitatis titulus numero vnius, aut ſingulari conſtet, ita enim inſcribuntur, De ſubſtantia, de quantitate, iſtud caput ſortitum eſt inſcriptionẽ pluralis numeri: ſic enim inſcribitur, de his quæ ſunt ad aliquid, hoc eſt, de relatis, aut de his quæ cum aliquo conferuntur: ratio illa eſt, quoniam ſubſtantia, & quantitas non habẽt naturam, quæ ad alteram referatur. eorũ verò,

*Tituli ſeu inſcriptionis ratio.*

*Cur numero multitudinis conſtet.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Reſpectꝰ duabꝰ minimũ rebus conſtat.
Secunda quæſtio.
Vtrùm ad alterum quidpiã ſit natura.
Variæ ſententiæ.
Prima.
Syllogiſmus.
Secunda opinio.
Protagoras.
Ratio.
Plato in theeteto.
Ariſto.
Noſtra ſẽtentia.
Ortus habitudinis
Dextrũ.
Siniſtrũ.
Dominꝰ.
Seruus.

quæ cum altero conferuntur, nullum per ſe poteſt ſubſiſtere: nam reſpectus omnis duabus vt minimum rebus opus habet. nam pater nõ eſt quiſpiam, niſi ſit etiam filius, neq; dominus, niſi ſeruus adſit: quãobrem non ſine cauſa inſcriptio hæc numero multitudinis conſtat, vt vel ipſo titulo intelligamus, habitudinẽ inter plura verſari. Hoc etiã loco quæſtio eſt, vtrùm ad aliquid quidpiam dicatur natura, an potius dici ad alterũ ratione tantùm cõtingat: quod vulgò quæritur, Vtrùm ſit aliqua relatio realis, an potius omnis ſit relatio rationis. De hac quæſtione apud veteres philoſophos magna controuerſia fuit. Quidã aiunt nihil eorum, quæ ſunt ad alterũ natura eſſe, ſed ratione, id eſt, conſideratione animi eſſe ad alterum. Iſtam ſententiã hoc argumento volunt conuincere: Si quidpiam natura diceretur ad alterum, in vna, atque eadem re duorum relatorum ratio ineſſe non poſſet, videmus tamen contrà euenire, nam idem pater eſt, atque etiam filius, dextrum, atque ſiniſtrum, ergo relata non ſunt natura, ſed ratione tantùm exiſtunt. Syllogiſmus legitimus eſt, & minor apertè vera, maior probatur: quoniã natura nõ facit in eodem duo oppoſita. Alij exiſtimant, omnia quæ verſantur in natura, ad alterũ eſſe, ex quorũ numero fuit Protagoras. Arbitrantur iſti autores nullius rei firmã, atque conſtãtem eſſe naturam, ſed talem vnãquanque rem eſſe, qualis nobis appareat: vnde fit, vt omnia ad alterum eſſe dicãtur. Quorum ſententiam Plato refellit in dialogo, qui Theetetus inſcribitur, atque etiam Ariſt. lib. iij. de prima philoſophia. Nos tamẽ dicimus, Ariſt. ſequuti opinionem, atque etiã aliorum magnorum virorum, dubium nõ eſſe, quin ſit aliquid ad alterum natura ſua: Pater enim, natura pater eſt, ſimiliter & filius, duplum, & dimidium, dextrũ, & ſiniſtrum. multis enim modis habitudo cõſiſtit. Quædam enim ſecundum naturam eſt, vt quæ verſatur inter dextrum, & ſiniſtrum, quoniam dextrum ſua natura in ea parte corporis ſitum eſt, à qua incipit motus, ſiniſtrum verò in ea, in qua deſinit. Nam iecur, vnde motus ſumitur, dextrum eſt, lyen verò ſiniſtram partem tenet: neq; fieri poteſt, vt hæc mutentur. Deus etiam natura Dominus eſt, nos ſerui. Aliquando etiam habitudo naſcitur caſu, vel fortuna, vt quæ

inter

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*inter dominum, atque ſeruum exiſtit. Aliquando ab arte, vt quæ verſatur inter doctorem, & diſcipulum. Demum aliquando ex electione ortum habet; vt quæ eſt inter amicos: nam amicitia cõſilio, atque electione ſumitur: omnia verò hæc genera relatorũ pertinent ad prædicamẽtum eorum, quæ ſunt ad alterum: nam habitudo, quæ ratione tantùm cõſtat, in iſto rerũ ordine locum nõ habet, neque etiã vniuerſa habitudo, quæ natura cõſiſtit, ſed tãtùm quæ finita eſt: nam pater, & filius, ſi perſonã diuinam ſignificent, in iſto ordine non exiſtunt: neq; præterea illa habitudo, quæ vniuerſa genera rerũ comitatur, cuiuſmodi eſt diſtinctio. Nã in iſto ordine tantũ collocãtur habitudines illæ, quæ in vno tãtùm genere rerũ exiſtunt, nõ quæ in multis: neque illæ, quæ exuperant omnem generis cuiuſque perfectionem.*

*Relatio rationis procul ab eſt ab iſto ordine.*

*Secundò infinita.*

*Tertiò maximè cõmunis.*

*Omnia verò relata, quæ ad iſtum ordinẽ referũtur, triplici genere continentur: aut enim exiſtunt in ſubſtantia, vt pater, & filius, dominus, ſeruus: aut in quãto, vt multum, paucum, duplum, dimidium, aut in qualitate, vt ſimile, diſſimile. huius ſententiæ autor eſt Ariſt. lib. v. de prima philoſophia.*

*Triplici genere relata contineẽtur huius categoriæ.*

*Quæ verò ad alterum dicũtur, duobus ſanè modis contingit inuicẽ referri: interdum quidẽ ſecũdum idem nomen, vt ſimile alicui ſimile, equale alicui equale: interdum per diuerſum: hoc vbi fit, aut quæ referuntur, ita comparantur, vt vnum ſub altero ſit, vt dominus, ſeruus, aut vnum ſignificat Iudicantem, alterum quod Iudicatur, vt ſciẽtia, & ſcibile, ſenſus, & ſenſibile: aut cauſam ſignificãt, atque effectũ, vt pater, & filius: aut actionem, & paſſionem, vt verberans, & vapulans, aut locum, vt dextrum, & ſiniſtrum. His vtcunque prælibatis, longè facilius erit, explanare finitionẽ relatorũ, quã à Platone acceptã (vt inquit Porphirius) Ariſt. in præſentia refert: illa ſic habet.*

*Bifariam reſerũtur relata.*

*Relata, quænã ſignificẽt.*

*Quam Boethius ita vertit: Ad aliquid talia dicuntur, quæcũque hoc ipſum quod ſunt, aliorũ eſſe dicũtur, vel quomodolibet aliter ad aliud. Quæ definitio vſqueadeo obſcura, atq; impedita effecta eſt interpretis vicio, qui verbum verbo voluit reddere, vt difficile poſſit intelligi. Quam obrem multùm mihi probatur hac parte verſio, quam fecit Perionius: ille ita latinè reddit finitionẽ propoſitã: Ea cũ aliquo*

*Boethij verſio.*

*Quæ ſint relata.*

*Perionij verſio.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

conferuntur, quorum vis omnis, atque natura refertur ad alia, aut quoquo modo cum alio conferuntur. Hæc definitio duas partes habet, quibus ſignificantur duo diuerſa genera relatorum: quædã enim ſunt relata, quæ Ariſt. per ſe vocat, vulgò ſecundum eſſe vocantur: & ſignificantur ab Ariſto. illa parte definitionis, Quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vt duplum, & dimidium. Quædam verò ſunt, quæ paſſim ſecundum dici relatiua appellantur, nos ex accidenti appellamus, quoniam explicantur aliquomodo per relationem, eorum tamen natura, atque ſubſtantia non eſt ad alterum, vt virtus, atque vitium: hæc ſignificat Ariſto. illa particula, Vel quocunque modo ad aliud referuntur. Sed quoniam contingit, interdum habitudinem illam explicari per genitiuum caſum, interdum verò per alium caſum quencunque, vtrunque modum referendi innuit Ariſt. verbis huius definitionis: Cùm enim dicit Aliorum, primam rationem referendi ſignificat, Cùm verò Quocunque modo, ſecundã. Vtriuſque modi referendi exempla adfert Ariſto. Primùm quidem prioris modi, dicens: Maius hoc ipſum quod eſt, altero maius dicitur, deinde duplum alicuius duplum eſt. Sed quoniam contingit aliquando, vt relatio fiat ad eundem caſum, aliquando ad diuerſum, adfert exemplum vtriuſque formæ referendi, duplum enim, & maius ad eundem dicuntur caſum, at verò habitus, diſpoſitio, ſcientia, ſenſus, & poſitio: habitus enim: alterius eſt habitus, res verò habitu percepta non eſt ipſius habitus. Diſpoſitio, rei diſpoſitæ diſpoſitio eſt, diſpoſitum verò, diſpoſitione diſpoſitum. Tertio poſitio, poſitæ rei poſitio eſt, res poſita, poſitione poſita eſt: item ſcientia, ſcibilis ſcientia, ſcibile, ſcientia ſcibile. ſenſus, ſenſibilis ſenſus, ſenſibile, ſenſu ſenſibile.

*Partes finitionis.* *Duos modos referendi attingit.* *Exẽpla.* *Habitus.*

Dicet aliquis. ſi hæc, quorum paulò ſuperius mentionem fecimus, ſunt ad alterum, quẽadmodum ſuperiora, cur Ariſto. eadem ab alijs ſeparat, cùm inquit: At verò ſunt etiam hæc ad aliquid &c.

*Cur iſta relata ſeparet Ariſto. à ſuperioribus.*

Hoc duplici ratione factum eſt. Vna eſt, quoniam hæc referuntur ad diuerſum caſum, vt oſtendi, ſuperiora verò ad eũdem. Altera eſt, quia quæ priori loco commemorat, exiſtunt in quantitate. ſunt illa, duplum, dimidium, maius, & minus: hæc verò exiſtunt in qualita-

*Prima ratio.* *Secunda.*

te, vt

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*te, vt planè conſtat.*

Sunt autem & accubitus, & ſtatio, & ſeſsio poſitiones quædam, poſitiones verò ad aliquid ſunt: iacere autem, & ſtare, vel ſedere, ipſa quidem non ſunt poſitiones. denominatiuè verò dicuntur ab iis, quæ dictæ ſunt, poſitionibus.

*Non contentus Ariſt. ſuperioribus exemplis, his verbis tria alia relata commemorat, accubitum, ſtationem, ſeſsionem, quæ per genitiuum referuntur, tametſi non ad eundem caſum. Quòd vero ad aliquid dicantur, hoc argumẽto colligit Ariſtoteles: poſitiones ſunt ad aliquid, accubitus, ſtatio, ſeſsio, poſitiones ſunt, ergo ſunt ad aliquid. Syllogiſmus legitimus eſt in tertio modo primæ figuræ: neceſſe eſt enim, vt in quo prædicamento genus exiſtit, in eodem quoque ſpecies exiſtant, quæ ſunt ſub illo genere, quoniam genus de ſuis formis dicitur ſecundum propriam rationem. Maior manifeſta eſt ex his, quæ Ariſt. dixit paulò ſuperius. Minor probatur, nam accubitus, eſt poſitio partium, quæ iacent obliquè. Statio, poſitio partium erectarum. Seſsio denique partium poſitio, partim ſtantium, partim iacentium.*

*Syllogiſmus.*

*Accubitus.*

*Statio.*

*Seſsio.*

*Quoniam verò poſſet quiſpiam obijcere, ſi hæc ſunt ad aliquid, nihil eſſe reliquum, quod ad prædicamentum Situs referatur, Ariſt. diluens obiectionem, inquit: Quòd ex quo accubitus, ſtatio, ſeſsio, ſolam poſitionem ſignificant, & poſitio eſt ad aliquid, fit, vt hæc ipſa ſint ad aliquid. Accubare autem, ſtare, & ſedere, quæ denominãtur (vt conſtat) ab accubitu, ſtatione, & ſeſsione, pertinent ad prædicamentum Situs. Quoniam, vt ſuo loco, & tẽpore dicemus, ſex poſtrema prædicamẽta ſubſtãtiam ſignificant ſimul cũ quadã habitudine.*

Occurrit *Ariſt. obiectioni.*

*Accubare, ſtare, ſedere.*

*Anteà tamen quàm hinc diſcedam, duo lectorẽ admonere opus eſt. Vnum eſt, quòd ex phraſi, & loquendi ratione conſtat, iſtam finitionem relatorum antiquam eſſe, atque ab Ariſto. non probari, cùm dicat, Ad aliquid dicuntur.*

Prima *obſeruatio.*

*Alterum eſt, quòd licet maius, atque minus non videantur inuicem referri per genitiuum caſum, proculdubio ita referuntur, vt ex græco ipſo ſermone conſtare facilè poſsit. Græci enim ablatiuum caſum non habent, ſed pro eo vtuntur genitiuo.*

*Secunda.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Ineſt autem contrarietas in iis, quæ ſunt ad aliquid, vt virtus vitio cõtraria eſt, cùm ſit vtrunque eorum ad aliquid: & ſcientia ignorantiæ. Non autem omnibus iis, quæ ſunt ad aliquid, inſunt contraria: duplo enim nihil eſt contrarium, neque dimidio, neque vlli talium.

*Tradita definitione relatorũ, quam cœpit Ariſt. ab antiquis philoſophis, atque eadem multis exemplis illuſtrata, ſtudet proprium relatorum aſſignare. Hoc vt efficiat, prius cõmunia recenſet, vt ab his facilius in cognitionem proprij perduci poſſit. Communia tamen, quæ initio recenſet, ea relata conſequuntur, quæ cõprehenduntur antiquorum definitione, vt docebimus ſtatim. Primum ergo inquit, In relatis cõtrarietatem reperiri: quia vnum alteri contrarium eſt. Hoc exemplo conſtat. Nam virtus ad alterum eſt, eſt enim alicuius virtus. Vicium etiam ad alterum dicitur, & tamen virtuti Vicium contrarium eſt. Item Sciẽtia ignorantiæ eſt cõtraria, & tamen ſcientia, atque ignorantia dicuntur ad alterum, vt dixit paulò ſuperius Ariſto. Hoc tamen propriũ relatorum non eſt. quia neque omnibus, neque ſolis relatis ineſt. Non omnibus quidem ineſt, quoniam duplo nihil contrarium eſt, neque etiam dimidio. Deinde neque ſolis ineſt, quoniam in Qualitate etiam contrarietas reperitur, calidum enim frigido, & album nigro contrarium eſt.*

*Ineſt contrarietas in relatis*

*Virtus.*

*Scientia.*

*Non eſt hoc propriũ relatorum.*

Videntur autem magis & minus ea, quæ ad aliquid ſunt, ſuſcipere. Simile enim, & diſsimile magis & minus dicitur: & equale, & inequale magis & minus dicitur: cùm vtrunque ſit ad aliquid. Simile enim alicui ſimile dicitur: & inequale alicui inequale. Non autem omnia, quæ ſunt ad aliquid, ſuſcipiunt magis & minus: duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid talium.

*Ea quæ cõtraria ſunt, magis & minus ſuſcipiunt, atq; ideo vtrunque coniungit Ariſt. Nam ſtatim vbi dixit, aliqua cõtraria eſſe, addit, Suſcipere etiam magis, & minus, & quæ contraria ſunt, magis & minus dicũtur, alia verò minime. Idem facit in præſentia: Inquit enim, Relata ſuſcipere magis atque minus: exẽplo hoc docet. Nam ſimile, & diſsimile ad alterum dicũtur, ſimile enim alicui ſimile dicitur, & diſsimile, alicui diſsimile. Similiter equale, alicui equale, inequale, alicui inequale, atqui eadem magis & minus dicuntur. Nam vnum*

*Cur hæc duo cõmunia iũgat Ariſt.*

*Simile.*

*Diſsimile*

*Equale.*

*Inequale*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

vnum alteri magis minuſue ſimile dicitur, equale etiā, aut inequale. Hoc verò non eſt proprium relatorum: quoniā neque ſolis ineſt, cùm etiam inſit qualitati: neque omnibus, quoniam Duplum non dicitur magis, vel minus, neque Dimidium.

Verùm aduerſus ſententiam Ariſt. ſic obijcio: in primis falſum eſt, quod inquit, Virtutē, atq; Vicium eſſe cōtraria, Sciētiam quoq; atq; ignorātiam. Hoc ita probatur. Quoniam hæc omnia qualitates ſunt, vt apparet, ergo nō ſunt relata, vt ait Ariſt. Antecedēs probatur, quoniā qualitatem tātùm illa ſignificāt. Porphirius reſpōdet hæc ipſa duobus modis accipi poſſe. Vno modo, vt reddunt quales eos, qui eiſdē inficiūtur, alio modo, quatenus ſingula ſunt alterius. Priori ſignificatione ſunt qualitates, (vt ex definitione qualitatis apertè colligitur.) Poſteriori verò ſunt ad aliquid. Nihil autē vetat, eādem rem in diuerſis prædicamētis collocari, modò id diuerſa ratione fiat. Hæc tamen ſentētia Porphirij mihi nō probatur. quoniā ſi re vera Ariſt. crederet, hæc, quæ numerauimus, ad aliquid eſſe, omnia decē genera, etiam ipſa ſubſtantia eſſet ad alterū, quoniā omnia quæ ſunt, aliquo modo aliorū eſſe dicūtur. Quare dicēdum eſt, hoc non dixiſſe Ariſt. ex propria ſentētia, ſed potius per quandam ſimulationē. Cupit enim, dum hoc aſſerit, euertere traditam ab antiquis finitionē relatorum, hoc argumēto. Quia ſi ſatis eſſet dici aliorū, vt relata ſint, ſciētia, & ignorātia, virtus, & viciū erunt ad alterū. quod abſurdum quidē eſt: cùm ſint qualitates. Quam obrē illa definitio nullo pacto ferēda eſt. Nulla ergo cauſa eſt, cur hoc nomine Ariſt. reprehendamus.

Hamoni[?] Obiectio aduerſus hanc ſententiam.

Porphirij reſpōſio.

Refellitur Porphirius.

Noſtra ſētentia.

Secūdo ſic obijcio: equale, & inequale nō dicūtur magis, aut minus, ergo falſum eſt, quod Ariſt. inquit. aūs probo. Equale, & inequale propriū eſt quāti, ſed quātū nō ſuſcipit magis, aut minus, ergo neq; equale, aut inequale. Maior vera eſt, vt oſtēdimus in ſermone de quāto. Minor quoq; eodē loco: conſequentia verò probatur. Nam alioqui ipſum quātum diceretur magis, aut minus. Porphirius inquit, Syllogiſmum non eſſe legitimum. Quoniam licet quantitati, vt quantitas eſt, non poſſit ineſſe ſuſcipere magis, aut minus, nihil prohibet accidentibus quantitatis illud ineſſe, quoniam eius propriū qualitas eſt, non quantitas. Quare equale, & inequale dicentur magis, & minus.

Secunda obiectio.

Porphirius.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Refellitur Porphirius.*

*nus. Mihi verò nõ poteſt probari opinio Porphirij hoc loco, multis nominibus, Primùm quidem quoniam quod eſt cuiuſpiam maximè proprium, quod pertinet ad ſuſcipiendum intẽſionem, aut remiſsionem, eandem cum illo rationem habet. Vt enim exemplo rem doceam, Riſibile (quod proprium hominis eſt) quamuis qualitas ſit, neque intendi poteſt, neque remitti.* *Secundo.* *Deinde explicari nullo modo poteſt, neque intelligi, quo pacto vnum ſit alteri magis equale. Nam ea vocantur equalia, quæ ſe non exuperant, magis ergo equalia excogitari nõ poterunt. Tertio, vbi non eſt contrariũ, non eſt magis, aut minus, equale, & inequale contraria non ſunt, ergo neque magis, aut minus dicũtur.* *Tertio.* *Diſcurſus eſt legitimus, & antecedens verum, ergo & conſequens. Primùm quidem maior vera eſt, quoniam magis, & minus cõſtat permixtione contrariorum. Minor quoque vera eſt, quoniam illa tantùm relatio contrarium habet, quæ eſt in prædicamento habente contrarium, ſed equale, & inequale ſunt in quanto, quod non habet contrarium, ergo non ſunt illa contraria. Quare neque magis, aut minus dicuntur. Alio ergo modo reſpondẽdum nobis eſt ad quæſtionem propoſitam, eò videlicet quòd Ariſt. hæc referat, quæ admodum abſurda ſunt ex ſententia illorum, qui autores fuerũt propoſitæ finitionis relatorum: quæ cùm ſint irrationabilia, non minus finitionem labefactant, atque euertunt, quàm quæ paulò inferius Ariſtoteles enumeraturus eſt. Aut dicamus abuſiuè, atq; impropriè loquutũ fuiſſe philoſophum, cùm id aſſereret, non verè, aut propriè. Vtraq; ergo explicata proprietas falſa eſt. Adducta eſt tamen ab Ariſt. quòd ſit propoſitæ finitioni conſentanea.*

*Noſtra ſẽtentia.* *Secunda ratio reſpondẽdi.*

Omnia autem, quæ ſunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur. Vt ſeruus, domini ſeruus, & dominus, ſerui dominus eſſe dicitur, & duplum: dimidij duplum: & dimidium, dupli dimidium: & maius, minore maius: & minus, maiore minus. Similiter autem & in aliis. Sed caſu aliquoties differunt ſecundum loquutionem: vt diſciplina, diſciplinati diſciplina dicitur: & diſciplinatum, diſciplina diſciplinatum, & ſenſus, ſenſibilis ſenſus: & ſenſibile, ſenſu ſenſibile. At verò aliquoties non videbitur conuerti, niſi conuenienter ad quod dicitur aſsignetur, ſed peccet is qui aſsignat: vt ala ſi aſsignetur auis, non conuertitur auis alæ. Non enim prius cõuenienter aſsignati eſt ala auis: neque enim in

eo quòd

(c) 2007 Ministerio de Cultura

eo quòd auis eſt, ala auis dicitur, ſed in eo quòd alata eſt: multorũ enim & aliorum alæ ſunt, quæ non ſunt aues: Quare ſi aſsignetur conuenienter, conuertitur: vt ala alati ala eſt: & alatum ala alatum. Aliquoties autem fortè & nomen fingere neceſſe erit, ſi non fuerit nomen impoſitum, ad quod conuenienter aſsignetur: vt remus ſi aſsignetur nauis, nõ eſt aſsignatio conueniens, neque enim in eo quòd nauis eſt, in eo eius remus dicitur: ſunt enim naues, quarum remi non ſuut: quare non conuertitur: nauis enim non dicitur remi nauis. Sed fortè conuenientior aſsignatio erit, ſi ſic quodãmodo aſsignetur: remus, remitæ rei remus eſt, aut quomodocunqne aliter: nomen enim non eſt poſitum. Cõuertitur autem ſi conuenienter aſsignetur: remitum enim remo remitum eſt. Similiter autem & in aliis: vt caput conuenientius aſsignabitur capitati caput, quàm ſi animalis aſsignetur: neque enim in eo quod eſt animal, caput habet: multa enim animalia ſunt capita non habẽtia. Sic autem fortaſſe facilimè quis ſumet, quibus poſita non ſint nomina, ſi ab iis quæ prima ſunt, & iis, ad quę conuertuntur, nomina ponat: vt in iis, quæ prædicta ſunt, ab ala alatum, à remo remitum. Omnia igitur, quæ ad aliquid dicuntur, ſi conuenienter aſsignentur, ad conuertentia dicuntur: quoniam ſi ad quodlibet aliud aſsignentur, & non ad id, ad quod dicuntur, non conuertuntur. Dico autem quoniam neque eorũ, quæ indubitanter ad conuertentia dicũtur, & nomina eis poſita ſunt, nihil conuertitur, ſi ad aliquid eorum, quæ ſunt accidentia aſsignẽtur, & non ad id, ad quod dicuntur, vt ſeruus: ſi non domini aſsignetur, ſed hominis, vel bipedis, vel cuiuſcunque talium, non cõuertitur, nanque dici non poteſt, homo eſt ſerui homo. non enim conueniens eſt aſsignatio. Amplius: Si autem conuenienter aſsignetur ad id, ad quod dicitur, omnibus aliis ſublatis, quæcunque accidentia ſunt, relicto ſolo illo, ad quod aſsignatum eſt, ſemper ad ipſum conuenienter dicetur: vt ſi ſeruus ad dominum dicitur, circunſcriptis omnibus, quæ accidẽtia ſunt domino, vt eſſe bipedem, vel ſcientiæ ſuſceptibilem, vel hominem: relicto verò ſolo quod dominus eſt, ſemper ſeruus ad ipſum dicetur: ſeruus enim domini ſeruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur, aſsignetur, circunſcriptis omnibus aliis, relicto eo ſolo, ad quod aſsignatum eſt, non dicetur ad ipſum: aſsignetur enim ſeruus hominis, & ala auis, & circunſcribatur ab homine eſſe dominum, non iam ſeruus ad hominem dicitur: cùm enim dominus nõ ſit, neque ſeruus eſt. Similiter & de aue, ſi adimatur eam alatam eſſe: non enim amplius erit ala ad aliquid: cùm enim non ſit alatum, nec ala erit



(c) 2007 Ministerio de Cultura

alicuius. Quare oportet aſsignari id, ad quod conuenienter dicit[ur]: & ſi ſit nom[e]n poſitum: facilis erit aſsignatio: ſin autem non ſit, fortaſſe neceſſarium erit nomen fingere, ſi autem ſic aſsignetur, manifeſtum eſt: quoniam omnia ad conuertentia dicuntur.

*Explanatis duabus falſis proprietatibus relatorum, tertiam tradit Ariſt. ſed perfectam: quoniam omnibus, atque ſolis relatis accõmodari poteſt. Ea eſt: Quod relata dicuntur ad conuertentia: ita enim legere oportet, non ad conuertentiam, vt quidam legit, atque interpretatur. Nam Græce locus ſic habet: πρὸς ἀντιςτρέφοντα.*

*Propriũ relatorũ. Carpit quendã.*

*Quaſi dicas omnia relata ad conuertentia dicuntur. Dici verò ad conuertentia, eſt ad ea referri, cum quibus reciprocantur: Hæc enim duo ſunt neceſſaria, vt ad cõuertentia aliqua dicãtur. Nam cõuertentia vocãtur reciproca, & mutuò cõmeantia. Eſt enim cõuerſio, æquaverſio, aut reditus per equale, quia verſio, reditio eſt ab eodẽ in idẽ. Vnde cœlum verti dicitur, quia ab oriente exit, & per meridiem, atque occidentem, & ſeptẽtrionem rurſum in oriẽtem reuertitur. Res exemplis cõſtabit, quibus Ariſt. vtitur. Seruus enim, Domini ſeruus dicitur, & Dominus, ſerui Dominus. duplum, dimidÿ duplum, dimidium, dupli dimidium. Atque in cæteris ſimili modo.*

*Dici ad cõuertentia. Conuertentia. Cõuerſio. Verſio. Exẽpla.*

*Admonet tamẽ Ariſt. duo. Vnum eſt, quòd continget aliquãdo, vt relata nõ referantur ad ea, cum quibus cõuertuntur, ſecundũ eundem caſum, ſed potius ſecũdum diuerſum. Quoniam ipſa ratio loquẽdi nõ patitur, vt mutua relatio per eundem caſum exprimatur, quod Ariſt. ſignificat, cùm inquit, Secũdum loquutionem. Rem exemplis planam facit. Diſciplina enim, diſciplinati eſt diſciplina, diſciplinatũ verò, diſciplina diſciplinatũ. Senſus, ſenſibilis ſenſus, ſenſibile, ſenſu ſenſibile. Secunda obſeruatio eſt, quòd interdum relata nõ conuertũtur. Id tamen ideo euenit, quòd prauè facta ſit aſsignatio, hoc eſt, nõ rectè vni relato aſsignatum eſt id, ad quod dicitur. Si enim rectè facta aſsignatio eſſet, ſemper relata ad conuertentia dicerentur. Oportet ergo diligẽter dare operam, vt rectè, atque vt oportet, aſsignatio fiat. Id vt efficiatur commodius, animaduertemus, vtrùm relatum poſitum habeat aliud, ad quod referatur, an non. Si illud poſitum ſit, ad*

*Obſeruatio. 1.*

*Secũdum loquutionem.*

*Secunda obſeruatio.*

*Qua ratiõe fieri debeat aſſignatio.*

*ad illud referemus, ſi non ſit poſitum, fingemus illud. Vt rectè effingamus, illud ex altero, cui nomen poſitum eſt, deducemus. Poſtquam verò illud effinxerimus, explorabimus, vtrùm rectè, an ſecus facta ſit aſsignatio. Erit autem rectè facta, ſi circũſcriptis, atque detractis cæteris omnibus, quæ accidũt ipſi relato, fiet nihilominus aptè, atque commodè reciprocatio. Si verò id non fiat, commodè aſsignatio facta non eſt. Res exemplo plana erit. Ala enim, & Caput ad alterum dici videntur. Si verò ala aui, & caput animali aſsignetur, non eſt neceſſarium dici ad cõuertentia. Nam neque ala, auis ala eſt, cùm multa inſecta, quæ aues non ſunt, alas habeant. Neque etiam auis, ala auis eſt, cùm veſpertiliones aues ſint, alas tamen non habeant. Caput præterea non conuertitur cum animali, quoniam multa animalia ſunt, quæ caput nõ habent, non aquatica modò, ſed etiam terreſtria. Ratio cur non reciprocẽt, eſt, quia nõ rectè facta aſsignatio eſt. Nam ala nõ dicitur ad auem, neque ad animal caput. Cùm autem nomina poſita non ſint, & hæc, atque ſimilia referantur, neceſſe eſt illa fingere. Id vt aptè fiat ex poſito nomine aliud ducendum eſt, & ex ala alatum efficiendum, ex capite capitatum, ex remo remitum. Hæc verò recta aſsignatio relatorum eſt, quia ſi Alato detrahas quæ illi accidunt, vt eſſe animal bipes, & volucre, atque id genus alia, alatũ ſemper ad alam refertur, & ala alatum eſt. Item ſi Capitato omnia detrahas, quæ illi accidunt, relinquas tamen illi propriam rationem, ſecundum quam facta eſt aſsignatio, conuertitur cum capite: capitatum enim, capite capitatum eſt. Hanc autem rem non obſcure quidem, vt ſolet, ſed potius luculenter Ariſt. explanat: ita vt ſuperuacaneum fuerit, in eius ſententiam plura conferre. Sed obÿciet aliquis, hoc non eſſe maximè proprium relatorum, quoniam alÿs etiam conuenit, nam homo, & aptum ad ridendum conuertuntur, & reciprocantur, at non ſunt relata. Obiectio diſoluitur primùm, quia non conuenit his proprium aſsignatum. Nam non ſolùm oportet conuerti, & reciprocari, ſed dici ad conuertentia, hoc eſt, referri ad ea, cum quibus mutuò commeant, quod illis non ineſt. Secundo quæ reciprocantur, non debent ita comparari, vt vnum ſit cauſa alterius*

*Exploratio aſsignationis relatorũ.*

*Obiectio ꝙ non ſit hoc maximè ꝓpriũ relatorũ.*

*Solutio.*

*Reciprocis quænã oporteat ineſſe.*

 terius

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*terius, homo verò eſt cauſa eius quod eſt aptum ad riſum, quoniã ex principijs hominis iſta propenſio ortum habet. Tertiò quæ reciprocantur, eam ſeruãt rationem, vt vnum ſine altero neque definiri, neque intelligi poſſit, quod aliter euenit in præſentia.*

Videtur autem ad aliquid, ſimul eſſe natura: & in plurimis quidem verum eſt, in aliquibus verò non verum. ſimul enim duplum, & dimidium ſunt: & cùm ſit dimidium, duplum eſt: & cùm ſit dominus, ſeruus eſt: & cùm ſit ſeruus, dominus eſt. Similiter autẽ his, & alia. Simul autem hæc auferunt ſe inuicem: ſi enim non ſit duplum, non erit dimidium: & ſi non ſit dimidium, non erit duplum. Similiter autem & in aliis, quæcunque talia ſunt. Non autem in omnibus relatiuis verum videtur eſſe, vt ſint ſimul natura: ſcibile enim ſciẽtia prius videbitur eſſe: nanque vt plurimùm prius rebus ſubſiſtentibus, ſcientias accipimus: in paucis verò, vel nullo quiſquam hoc perſpiciet, ſimul cũ ſcibili ſciẽtiam eſſe factam. Amplius: Scibile ſublatum ſimul aufert ſcientiam: ſcientia verò ſimul nõ aufert ſcibile: nam ſi ſcibile non ſit, non erit ſciẽtia, nullius enim erit ſcientia: ſcientia verò ſi nõ ſit, nihil prohibet eſſe ſcibile: vt circuli quadratura ſi modò eſt ſcibilis, ſcientia quidem eius nondum eſt, ipſa verò ſcibile eſt. Amplius: Animali quidem ſublato non erit ſcientia: ſcibilium verò plurima eſſe contingit. Similiter his ſeſe habent ea, quæ de ſenſu ſunt: ſenſibile enim prius, quàm ſenſus eſſe videtur: ſublatum enim ſenſibile ſimul aufert ſenſum: ſenſus verò ſenſibile nõ ſimul aufert. Senſus enim circa corpus, & in corpore ſunt. Senſibili autem ſublato, aufertur & corpus: ſenſibile enim corpus eſt: cùm autem corpus non ſit, aufertur ſenſus. Quare ſimul aufert ſenſibile ſenſum, ſenſus verò ſenſibile non ſimul aufert: ſublato enim animali, ſenſus quidem aufertur, ſenſibile autem non: eſt enim ſenſibile corpus: vt calidũ, dulce, amarũ, & omnia alia quęcũque ſunt ſenſibilia. Amplius: Sẽſus quidẽ ſimul cũ ſentſiuo fit, ſimul enim fit animal, & ſenſus: Senſibile verò ante animal, & ſenſum eſt: ignis enim, & aqua, & alia huiuſ modi, ex quibus ipſum animal cõſtat, antè ſunt, quàm animal omninò ſit, vel ſenſus: quare prius ſenſibile quàm ſenſus eſſe videbitur.

*Ordinis huius rõ. Eſſe ſimul natura.*

*Hæc eſt ſecunda communitas relatorum, qua dignoſcuntur ipſa relata. Naſcitur verò ex ſuperiori, atque ideo eidem eſt adiuncta ab Ariſt. Cùm enim mutuò reciprocentur, ſimul erunt natura.*

*Eſſe autem ſimul natura illud eſt. Vno poſito, poni alterũ, & vno ſublato,*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſublato, alterum auferri: atque inſuper vnum non eſſe cauſam alterius. Adhibet exempla Ariſto. Duplum enim atq; Dimidium ſimul natura ſunt, atque etiam dominus, & ſeruus. Ratio igitur ita colligitur Simul natura ea ſunt, quæ ita comparãtur, vt vno poſito, alterum ponatur, vno ſublato, auferatur alterum: relata ſunt huiuſmodi, ergo ſunt ſimul natura. Diſcurſus legitimus eſt, & maior probatur argumento ſumpto à definitione eorum, quæ ſunt ſimul natura in poſtprædicamentis. Minor probatur inductione. Simul enim ſunt duplum, & dimidium, & ſi eſt duplum, eſt dimidiũ. ſi duplum non eſt, neque dimidium eſt. Seruus etiam, & dominus ſimul ſunt, & ſi eſt ſeruus, eſt quoque dominus: ſi ſeruus non ſit, neque dominus eſt. Et idem de cæteris dici poteſt. Exẽpla. Syllogiſmus.

Obijciet aliquis: pater & filius relata ſunt, & tamen non ſunt ſimul natura, ergo falſum eſt, quod inquit Ariſto. hæc eſſe natura ſimul. Diſcurſus legitimus eſt, & antecedens manifeſtè probatur. Nã prius eſt pater, quam filius, cùm ſit filij cauſa, & cauſa effectum antecedat. Hæc verò obiectio facilè diluitur adhibita diſtinctione. Ipſa enim relata bifariam accipi poſſunt: aut enim conſiderãtur qua ratione relata ſunt, & inuicem referũtur, aut conſiderantur ratione eorum, in quibus exiſtũt habitudines. Si primo modo relata accipiãtur, ſimul natura ſunt, vt Ariſt. probat à definitione eorum, quæ ſunt natura ſimul. Si verò ſecundo modo accipiantur, nihil prohibet vnum eſſe altero prius: quod probat ratio propoſita. Atqui Ariſto. primo modo accipit relata, cùm inquit, Simul eſſe natura. Quòd relata non ſint ſimul natura. Obiectio Diluitur Relata bifariam conſiderãtur.

Admonet tamen Ariſt. quòd hoc non eſt proprium relatorũ, quoniam tametſi ſolis relatis inſit eſſe natura ſimul, non ineſt quidem omnibus. Hoc ille probat inductione. Nam ſcientia, & ſcibile relata ſunt: item etiam ſenſus, & ſenſibile. tamen ſcibile, priuſquam ſcientia eſt, & ſenſibile, quàm ſenſus. Rationes, quas adducit ad faciendã fidem huius rei, planæ ſunt apud Ariſt. & ſiquid habent ſobcuritatis, id à nobis paulò inferius adimetur. Obſeruatio.

Vtrùm omnia relata ſint ſimul natura. Quæſtio.

Exiſtit hoc loco quæſtio, Vtrùm omnia relata ſint ſimul natura,



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Cur quæſtionẽ ad ducam⁹.* an potius aliqua ſint, quibus hoc non inſit. Quæſtio hæc nonnihil negocij exhibet, & ad intelligendam ſententiam Ariſt. non parùm cõducit. Quam obrem operæprecium erit illam explicare, anteaquam aliò properemus. *Quòd nõ ſint oĩa relata ſimul natura.* In primis quidem videtur, quòd hoc non inſit omnibus relatis. Atque id perſuadetur Ariſt. ſentẽtia hoc loco. Deinde ratione ita probatur. Contingit interdũ vnum relatũ eſſe altero prius, ergo nõ ſunt omnia natura ſimul. Conſequẽtia legitima eſt à ſimili:

1 nam quod eſt altero prius, nõ eſt ſimul cum illo. Vt autem probemus

2 antecedẽs, accipiendum eſt, Prius, dici duobus modis (vt cæteros in-

*Prius duobus modis dicitur.* tellectus Prioris prætermittam, qui nõ ſunt propoſito negocio conſentanei:) dicitur enim prius tempore, & natura prius, teſte Ariſto. in poſt prædicamentis, cap. de priori. *Prius tẽpore.* Prius tempore dicitur, quod aliquo tẽpore fuit, anteaquam aliud eſſet, vt Plato Ariſt. *Prius natura.* Prius verò natura illud eſt, quod infertur ab alio, quod nõ infert: adimit aliud, à quo nõ adimitur: vt animal, prius natura eſt, quàm homo, nam ſi homo eſt, animal eſt, ſi animal non eſt, homo non eſt: ſi animal eſt, non oportet hominẽ eſſe. ſi homo non ſit, non oportet vt animal non ſit. Hoc ergo iacto fundamento, antecedens probatur, nempe vnum relatum eſſe prius altero: nam ſcientia, & ſcibile, ſenſus, & ſenſibile relata ſunt, atqui ſcibile prius eſt, quàm ſcientia, & ſenſibile, quàm ſenſus, ergo vnũ relatum prius eſt, quàm alterũ. Conſequentia legitima eſt, & maior eſt Ariſt. Minor verò probatur. Verùmtamen ne eaſdem rationes, atq; argumẽta ſæpius inculcemus, ſimul cõplectar vtrunq;, hoc modo: illa ſunt natura ſimul, quæ ita comparãtur, vt vno poſito, alterũ ponatur, & ſublato vno, alterũ auferatur, ſed ſenſus, & ſenſibile, ſciẽtia, & ſcibile nõ ſunt huiuſmodi, ergo neque ſunt natura ſimul. Diſcurſus eſt legitimus in quarto modo ſecundæ figuræ. Maior aperta eſt ex definitione eorũ, quæ ſunt ſimul natura. Minor probatur: quoniam etiam ſi ponamus ſcibile, & ſenſibile, non eſt neceſſarium ponere ſenſum, atque ſcientiam: & ſi ſcientiã, & ſenſum adimas, non oportet ſenſibile, atque ſcibile auferre, vt apertè conſtat.

*Secunda ratio.* Altera ratio ita colligitur: ſenſibile, & ſcibile ſunt priora, quàm ſenſus, & ſciẽtia, ergo nõ ſunt ſimul natura. Diſcurſus legitimus eſt



(c) 2007 Ministerio de Cultura

à pugnantibus, pugnãt enim ſimul eſſe natura, & vnum altero prius eſſe. Antecedẽs verò probatur, ſiue Prius dicatur ſecundũ tẽpus, ſiue ſecũdum naturam. Secundum tempus quidem, quia ſcibile, & ſenſibile ſunt aliquo tempore, anteaquam ſcientia, & ſenſus eorum ſit. Infantes enim ſcientiam rerum nullam habent, etiam ſi multa ſint, quæ ſcire poſſint. ijdem etiam in vtero conditi nullius rei ſenſum habent, atqui tunc multa ſunt, quæ poſſint percipi ſenſu.

Natura verò vnum altero eſt prius, quod conſtat argumẽto ſumpto à priori ſecundum naturam. Si enim ſit ſcientia, ſcibile quoque eſt, cùm ſcientia, ſcibilis ſcientia ſit. & ſi ſenſus ſit, ſenſibile quoque eſt, quoniam ſenſus, ſenſibilis ſenſus eſt. &c.

At verò ſi ſit ſcibile, non oportet ſcientiam eius eſſe: ſunt nonnulla ſcibilia, quorum ſcientia nõ eſt, nam quadratura circuli ſcibilis eſt, eius tamen ſciẽtia nondum inuenta eſt. Deinde ſi auferas ſcibile, aufertur ſcientia, ſed ſi auferatur ſcientia, non ſtatim aufertur ſcibile, ſi enim ſcibile aufertur, aufertur animal, in quo eſt ſcientia, tãquam in ſubiecto, ergo & ipſa ſciẽtia aufertur, ſublato de medio animali. At verò ſi ſcientiam auferas, non neceſſe eſt auferri ſcibile: nam præter ipſum animal in quo ſciẽtia exiſtit, ſunt multa, quæ ſciri poſſint. Eadem ratio ſenſibili, atque ſenſui poteſt accommodari. Si enim auferas ſenſibile, auferes ſenſum, quoniã ſublato ſenſibili, aufertur animal, ergo & ſenſus, qui eſt in animali: ſublato verò ſenſu, nõ oportet auferri ſenſibile, quoniam licet auferas animal, in quo ſenſus ineſt, manebunt elementa, quibus animal conſtabit, quæ ſunt quidem ſenſibilia, perinde atque animal. Quare ſenſibile, & ſcibile priora natura ſunt, quàm ſenſus, atq; ſcientia, atque ex conſequenti ſimul eſſe natura non ineſt omnibus relatis, ſed aliquot duntaxat.

Ego verò ſic exiſtimo, omnia verè relata eſſe natura ſimul, atque id eſſe maximè proprium relatorũ. In hanc ſententiam adducor autoritate Hamonij, cõmentarijs in hunc locum: deinde teſtimonio Porphirij, atq; Simplicij. Quam opinionem vt intelligamus, animaduertendũ nobis eſt (quod & attigimus paulò ſuperius) relata duobus modis accipi poſſe: vno modo ſecũdum ſubſtantiã (vulgò dicitur ratione — Noſtra ſẽtentia. Hammonius. Porphirius. Sĩplici⁹.

S ij fun-

*Bifariam relata ſumuntur.*

*fundamenti) alio modo, qua ratione ad aliud ſunt. Si priori modo accipiantur, nihil prohibet, vnum eſſe altero prius, vt patrem filio, Dominum ſeruo. Si verò ſecundo modo, fieri non poteſt, vt vnum ſit altero prius, ſed neceſſarium eſt, vt ſint natura ſimul. Fieri enim nequit, vt pater quis ſit, niſi filium habeat, neq; duplum eſſe quidpiam poteſt, niſi adſit dimidium. Argumenta ergo adducta perſuadent, relata, ſi priori modo accipiantur, non eſſe ſimul natura. Nos verò illa ſecundo intellectu vſurpamus, cùm dicimus, omnia eſſe natura ſimul. Res enim ſcibilis à ſcientia denominatur, & ſenſibile à ſenſu, cùm hæc ſunt verè, atque proprie relata: & denominari ſcibile non poteſt, niſi ſcientia adſit, vnde appellatio ſumatur: atque eodem modo in cæteris.*

*Quid perſuadeant ſuperius adducta argumenta.*

*Secunda ratio diluēdi quæſtionem.*

*Secundo poſſumus diluere adductam inſtātiam de ſcibili, & ſenſibili, ſcientia, atque ſenſu, ſi dicamus hæc non eſſe verè relata, quoniam non eſt debitè facta aſsignatio. Oportet enim vtrunq; relatum actionem dicere, vel poteſtatem vtrunque: quod ſi fiat, ad conuertentia dicētur, & ſimul erunt natura. Si verò alterum ſecundum actionem ſumatur, alterum ſecundum poteſtatem, vera illa relata non ſunt: quoniam non eſt aptè facta aſsignatio: quod euenit in illis rationibus, quas de ſcientia, & ſcibili adduximus, ſenſu, atque ſenſibili.*

*Vera aſsignatio relatorum.*

*Ariſt. eſt in hac noſtra opinione.*

*Hanc noſtram ſententiam explicat Ariſto. cap. iiij. lib. ij. Phyſ. & lib. v. de prima philoſophia. cap. de relatis. Illis enim locis apertè teſtatur, quod ſi vtrunque actionem, vel poteſtatem vtrūque dicat, ſimul natura ſunt: vt ſi res actione ſcitur, actione quoque habetur eius ſcientia: ſi verò potentia, potentia quoque habetur. Dicet quiſpiam, ſi verum eſt, quod inquis, quo pacto Ariſt. in præſentia refert hæc relata eſſe, & non eſſe natura ſimul? Reſpondendum eſt, hoc Ariſt. dicere ex ſententia illorum, qui ſuperioris definitionis autores fuerunt, non ex propria. Nam ſi veram finitionem relatorum, quam Ariſt. tradit, ſequamur, ſcientia, & ſcibile, ſenſus, & ſenſibile relata non ſunt, ſi alterum actionem dicat, alterum poteſtatem. Quam obrem dicere licet natura eſſe ſimul, proprium eſſe relatorum: atque ideo Ariſt. contrariam ſententiam non pronuntiat apertè, ſed ſub hac forma.*

*Quo ſenſu vocet hæc Ariſ. relata.*

Non

(c) 2007 Ministerio de Cultura

Non autem in omnibus verum videtur eſſe, vt ſint ſimul natura.

*Sed quæret aliquis, nunquid verum illud ſit, quod refert Ariſt.*

In paucis verò, vel nullo quiſquam hoc perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam.

*Cùm enim ſcientia à re ſumatur, dubitationem habet, quod Ariſto. ſcribit. Sed proculdubio verum eſt, quod admodum timidè videtur Ariſt. dixiſſe. quamquam enim quæ natura cōſtant: & ſcibilia ſunt priora quidem ſunt, quàm ipſorum ſciētia, ſcientia quidem eorū, quæ ab arte proficiſcuntur, vel cognitio eorūdem, nam ſcientiam hoc loco pro cognitione vſurpat, prior eſt, quàm res ipſæ, ſi quidem artis effecta ſunt. Quod etiam in his euenit, quæ fingit intellectus: prius enim cognoſci debent, quàm vlla ratione exiſtant.* *Vtrū aliquādo re vera prior ſit ſciētia ſcibili.*

*Senſus vero eius ſententiæ Ariſtotelis,*

Quadratura circuli ſcibilis eſt, eius tamen ſcientia nondum eſt,

*ille eſt: Demonſtratione probari poſſe, quod ſit quadratum circulo equale: eius tamen rei ſcientia nondum eſt, quoniam neque eius rei demonſtratio inuenta eſt, quæ ſcientiam debet efficere. Vtrùm autē noſtra ætate demonſtratio inuenta ſit, adhuc ſub iudice lis eſt. Tametſi multi illam inuenire conati ſunt, atque eandem inueniſſe ſibi perſuaſerint, interquos eſt Horontius.* *Quadratura circuli.*

*Paulo inferius, cum inquit Ariſtoteles,*

Senſus ſimul cum ſenſitiuo fit. &c.

*Nomine ſenſitiui ſignificat animal, quoniam id ſenſitiuum propriè vocatur: animal enim ſecundo libro de anima ſenſu primuum eſt animal.* *Sēſitiuū.*

Habet autem dubitationem, vtrùm nulla ſubſtantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur: an hoc contingat ſecundum quaſdam ſecundas ſubſtantias. Nam in primis ſubſtantiis verum eſt, nam neque totæ, neque partes primarum ſubſtantiarum dicuntur ad aliquid: nam quidam homo, non dicitur alicuius quidam homo: neque quidā bos, alicuius quidam bos. Similiter autem & partes: quædam enim manus non dicitur alicuius quædā manus, ſed alicuius manus: & quoddam caput, non dicitur alicuius quoddam caput, ſed alicuius caput.

*Propoſuit hactenus Ariſt. finitionem relatorum, qua veteres vſi*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſunt, & quæ illã conſequerentur explicuit, eãdemque defendit quantum potuit, verũtamen cum propriã vellet exhibere relatorũ finitionem & oſtẽdere non omnino probari poſſe ſuperiorẽ finitionem, autorẽ eiuſdẽ deducit ad abſurdũ, qui ſane locus magnã vim habet, ad refellendam alienam ſentẽtiam. ducere autem ad abſurdum. vt hoc obiter dicamus, eſt mõſtrare ſi ſentẽtia vera ſit cõſequi aliquid quod ſit abſurdum: quamobrem cum abſurdum nõ colligatur niſi ex abſurdo, quemadmodum ex vero non colligitur niſi verum ſequitur opinionem aut ſentẽtiam quam conſequitur abſurditas, abſurdam omnino eſſe, & à ratione remotam, abſurdum verò ad quod deducit autores ſuperioris definitionis illud eſt. prædicamenta confundi poſſe & in eodem prædicamẽto collocari res diuerſi generis, ſequitur enim quod ſubſtantia relatum ſit, atque ex conſequenti, quod prædicamentum ſubſtantiæ & relatorum confundantur, quod ſi verum ſit efficitur etiam vt ſubſtantia, accidens ſit. cum relatum ſit accidẽs quonihil abſurdius fingi poteſt. hoc vt efficiat cõmodius atque aptius quæſtionem proponit: ea eſt, vtrum ſubſtãtia ſit ad alterũ, hanc vt abſoluat admonet quatuor eſſe genera ſubſtãtiarum, aut enim eſt totum vniuerſum vt animal. aut pars vniuerſa, vt caput manus, aut totum ſingulare vt Socrates Plato, aut pars ſingularis vt quoddam caput, quædam manus. vt autem oſtendat quæ ſubſtantia dicatur ad alterũ oſtendit, prius quæ ſubſtantiæ non dicantur ad alterum. in primis quidem totum indiuiduũ non dicitur ad alterum. nam quidam homo nõ eſt alicuius, quidam homo: neq; quidam bos, alicuius quidam bos, neque etiam pars indiuidua. neq; enim quoddã caput eſt alicuius quoddam caput. aut quædam manus, alicuius quædam manus. Rurſum neque totũ vniuerſum dicitur ad alterum. nam homo nõ eſt alicuius homo, neque bos eſt alicuius bos. quare ſubſtantiæ quæ explanatæ ſunt, nullo modo ſunt ad alterũ. quoniam non dicuntur (vt oſtendi) ad cõuertentia, quod aperte monſtratum eſt ex loquendi ratione, quo argumento in præſentia vſus eſt Ariſt. partes verò vniuerſæ ad alterum dici videntur. nã caput alicuius caput dicitur. manus alicuius manus. pes alicuius pes. neq; ſolum partes vniuerſæ ſed etiam partes ſingulæ

*Deducere ad abſurdum.*

*Ad quod abſurdũ deducat autores.*

*Quatuor genera ſubſtantiarum.*

*Quæ ſubſtantiæ nullo modo ad alterum dicantur.*

ad al

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ad alterum dici videntur, cum iſtud caput dicamus alicuius caput, & iſtam manum alicuius manum conſtat ex phraſi & ratione loquendi. quam obrem colligit Ariſto. ſi ea quæ ſunt ad aliquid ſufficienter definita ſint, hoc modo, quæ hocipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur. quomodo veteres relata definiebant. aut impoſsibile omnino eſt, aut admodum ſanè difficile oſtendere, quòd ſubſtantia non ſit eorum quæ ad alterum dicuntar. pars inquam primæ & ſecundæ ſubſtãtiæ. quare erunt accidẽtia, hoc autem plane abſurdum eſt, ergo nullo modo tolerari poteſt, ea definitio qua veteres relata explicauerunt cuius meminit Ariſt. initio huius capitis.*

Similiter autem & in ſecundis ſubſtantiis, atque hoc quidem in pluribus: vt homo, non dicitur alicuius homo: nec bos, alicuius bos: nec lignum, alicuius lignum: ſed alicuius poſſeſsio dicitur. In huiuſmodi ergo manifeſtum eſt, quoniam non ſunt ad aliquid. In aliquibns verò ſecundis ſubſtantiis, habet aliquam dubitationem: vt caput alicuius, caput dicitur, & manus alicuius dicitur manus: & ſingula huiuſmodi: quare hæc fortaſſe ad aliquid eſſe videbuntur. Si igitur ſufficienter eorum, quæ ſunt ad aliquid, definitio aſsignata eſt, aut nimis difficile, aut impoſsibile eſt oſtendere, quòd nulla ſubſtantia eorum, quæ ſunt ad aliquid, dicitur. Si autem non ſufficienrer, ſed ſunt ad aliquid, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere, fortaſſe aliquid contra iſta dicetur.

*Hoc loco Ariſt. videtur ſignificare eſſe aliquas ſecundas ſubſtantias, quæ ſint ad aliquid. cum dicat in pluribus ſecundis ſubſtantÿs tantum verum eſſe, quod non ſint ad aliquid, atqui Ariſto. in præſentia cum excipit ſubſtantias aliquot ſecundas, non loquitur de integris ſecundis ſubſtantÿs. ſed de partibus communibus ſubſtantiæ, quod ipſe exponit paulo inferius cum inquit, in aliquibus verò ſecundis ſubſtantÿs habet aliquam dubitationem vt caput alicuius caput, dicitur.*

*Quarum ſubſtãtiarũ mẽtionẽ faciat.*

*In partibus ſubſtãtię quędã primæ ſunt, quædã ſecũdę*

*Quemadmodum verò in integris ſubſtantÿs primæ atque ſecundæ ſubſtantiæ ſunt, ſic etiam in partibus earum. nam in his ſunt etiã indiuidua & ſpecies & genera vt hæc manus, manus, pars,*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Si autem non ſufficienter, ſed ſunt ad aliquid.

*Cum oſtenderit Ariſt. ſuperiorem finitionem relatorum nullo modo probari poſſe, quoniam efficitur ſi vera illa ſit, ſubſtantiarum ſecundarum partes eſſe ad aliquid ſtudet aliam inueſtigare, qua vti poſſimus & quam nulla abſurditas conſequatur. ea eſt, ad aliquid ſunt, quibus ipſum eſſe eſt ad aliquid quodammodo ſe habere. id eſt, relata ſunt, quorum vis atque natura in comparatione ſita eſt. vt duplū dimidium, pater filius.*

*Obiectio contra finitionē. Soluitur.*

*Obÿciet aliquis iſtam finitionē ferendam non eſſe, ratio eſt quoniā in ea nugatio ineſt, & quod definitur indefinitione collocatur. ad aliquid enim ea inquit Ariſt. eſſe quorum natura eſt ad aliquid. hæc tamen obiectio quæ difficilis fortaſſe quibuſdam apparebit, nullo negocio ſolui poteſt ſi dicamus alium eſſe intellectum huius vocabuli, ad aliquid cum definimus, quæ cum alio conferūtur, alium cum vocabulum illud indefinitione collocamus. eſt enim finitionis ſenſus ea ſunt ad aliquid, vel conferuntur cum alio, quorum natura eſt ad alterum. oportet autem vnum relatum definiri per aliud.*

Prior verò definitio ſequitur quidem omnia ea, quę ſunt ad aliquid, non tamē hoc eis eſt eſſe, quòd ſunt ad aliquid, quòd ea ipſa quæ ſunt, aliorum dicuntur.

*Cōparat finitionē vtranq;.*

*Poſtquam Ariſt. propoſuit finitionem veram relatorum comparat eandem cum ſuperiori, dicens, quòd ſuperior definitio, amplior eſt quàm hæc, rationem reddit, quoniā complectitur omnia ea quæ quocunque modo dicuntur ad alterum. hæc verò tantum complectitur, illa relata quorum vis atque natura eſt ad alterū. illa enim quæ contrarium habent & magis atque minus ſuſcipiunt, comprehendūtur priori definitione vt ſuo loco dictum eſt. poſteriori verò minime, ſiquidem eorum natura non eſt, ad alterum.*

Ex his ergo manifeſtum eſt, quòd ſi quis aliquid eorum, quæ ſunt ad aliquid, definitè ſciet, & illud, ad quod dicitur, definitè ſciturus eſt. Si enim nouit aliquis quiddam, quod ad aliquid eſt (eſt autem eſſe iis, quæ ad aliquid ſunt, idem ac ad aliquid aliquo modo ſe habere) & illud nouit, ad quod hoc aliquo modo ſe habet. Si enim non nouit omninò ad quod hoc aliquo modo ſe habet, neque ſi ad aliquid hoc ali-



(c) 2007 Ministerio de Cultura

quo modo ſe habet, noſcet. Sed in ſingulis palàm hoc eſt, vt ſi quid nouit quis definitè, quia duplum eſt, & cuius duplum eſt mox definitè nouit: ſi verò nullius definitorũ nouit ipſum duplum eſſe, neque ſi ſit duplum omninò nouit. Similiter autem & hoc aliquid ſi nouit quis quòd melius eſt definitè, & quo melius eſt ſtatim definitè neceſſarium eſt noſſe. Propter hæc, non indefinitè ſciet quia hoc eſt peiore melius: ſuſpicio enim hæc eſt, non ſcientia: non enim ſciuit exactè, quod eſt peiore melius, ſi enim ſic accidit. nihil eſt deterius ipſo. Quapropter palàm eſt, quia neceſſarium eſt, ſi nouerit quis aliquod relatiuorum definitè, & id, ad quod dicitur, definitè noſſe. Caput verò, & manus, & eorũ ſingula, quæ ſubſtantiæ ſunt, ea ipſa quæ ſunt, ſciri definitè poſſunt: ad quod verò dicantur, non eſt neceſſarium ſciri. Cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manns ſit, non eſt ſcire deſinitè: quare non erunt hæc ad aliquid. Si verò non ſunt hæc eorum, quæ ſunt ad aliquid, verũ erit dicere, quia nulla ſubſtantia aliquid eorum eſt, quæ ſunt ad aliquid.

*Aſsignato diſcrimine inter vtranque finitionẽ relatorum Ariſt. explicat quoddam correlarium. eſt autem corelariũ, quòd ex demonſtratione alterius rei perſpicuum euadit, vt quòd ſit prouidẽtia, corelarium eſt, huius quòd ſit anima immortalis. Si enim anima interire non poteſt neceſſe eſt deum humanarum rerum curam gerere: vt præmijs afficiat probos. caſtiget improbos. eſt autem vox hæc vt hoc obiter admoneam peculiaris geometris à quibus ad cæteros artifices tranſlata eſt. eius illæ notæ ſunt, igitur, idcirco, ideo, quare, quo fit, vnde fit, atque aliæ id genus voces. latine cõſectarium dicitur, quia rem conſequitur, quæ demonſtrata prius eſt. Hiſpani vocant añadidura. Cum ergo dicat in præſentia Ariſt. ex his igitur manifeſtum fit, dubitari non debet, quin nobis conſectarium exponat. illud eſt: ſiquis nouerit definitè vnum relatum definitè etiam alterum cognoſcet. definitè verò cognoſcere rem eſt certo illam agnoſcere & proculdubio. quaſi dixeris per definitionem, ergo qui norit, certo & proculdubio, vnum relatum, certo cognoſcet alterum, cum quo confertur. res primum ratione probatur. nam cum natura relatorum ſit ad alterum intelligi non poteſt, quo pacto vnum agnoſcatur quod relatum eſt, niſi id quoque noverimus ad quod refertur. exemplo etiã res conſtat.*

*Corelarium.*

*Vox geometrarũ.*

*Notæ conſectarij.*

*Definitè cognoſcere.*

*Ratio.*

*Exẽplum*

T nam

*nam nullo modo poſſumus cognoſcere quempiam eſſe patrem niſi filium cum quo confertur nouerimus neque duplum ſi dimidium ignoremus. atque in cæteris ſimili modo. poteſt quidem pater agnoſci, qua homo eſt, filio ignorato, at qua pater impoſsibile eſt. hoc autem, ideo euenit, quoniam natura relatorum eſt ad alterum. Hoc autem conſequitur naturam omnium relatorum & maximè proprium eorũdem dicitur. conuenit enim omnibus relatis, vt exemplis conſtare poterit atque etiam illis dumtaxat. nihil enim aliud reperiri poteſt cui inſit proprium iſtud. ex hac Ariſt. ſententia colligo virtutem, & vicium, ſcientiam & ſcibile, ſenſum & ſenſibile, non eſſe relata. nam nihil prohibet definite agnoſcere virtutem ignorato vitio. cum virtus ſit habitus electiuus in mediocritate conſiſtens. Item ſcibile ſine ſciẽtia. ſenſibile ſine ſenſu vt plane cõſtat. cætera vere relata ſunt: quoniam fieri non poteſt, vt quiſpiam vnum norit definite hoc eſt exacte, & certò atque etiam per definitionem. quæ eſt ſecundus modus efficiendi ſcientiam niſi alterum etiam cum quo confertur nouerit definite, qui enim indefinite nouit, hic non omnino nouit neque ſcientiam habet rei ſed ſuſpicionem tantum aut opinionẽ. Ex hoc loco diluit quæſtionem Ariſto. quam attulerat, paulò ſuperius cupiens labefactare definitionem relatorum, quæ vulgo ferebatur. ea eſt vtrũ aliqua ſubſtantia ſit ad alterum? videbatur enim pars vniuerſa ſubſtantiæ eſſe ad alterum, vt manus, pes, caput, atqui, vt inquit, hæ ſubſtantiæ non ſunt ad alterũ, ratio eſt quoniam poteſt definite cognoſci vnũquodq; iſtorum ignorato eo ad quod videtur eſſe. manus enim definitè, cognoſci poteſt, hoc eſt certo, & qua manus eſt, etiam ſi nihil aliud nouerimus definitè, caput quoque & reliquæ communes partes ſubſtãtiæ cognoſci exacte & perfecte poſſunt etiam ſi definitè ea ignoremus, quorum eſt manus & caput, atque cæteræ partes ſimiles. nam ſi illæ partes ſubſtantiæ quæ maxime videtur eſſe ad alterum, nõ ſunt ad alterum, nulla quidem ſubſtantia erit ad alterum à minori ſumpto argumento.*

*Hoc eſt ꝓpriũ relatorum.*

*Quæ non ſint relata.*

*Virtus.*

*Scibile.*

*Sẽſibile.*

*Diluit obiectionẽ Ariſt.*

Fortaſſe autẽ difficile ſit de huiuſmodi reb⁹ cõſidẽter declarare, niſi id ſæpe pertractatũ ſit: dubitaſſe autẽ de horũ vnoquoq; nõ eſt inutile.

*Audite*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Audite modeſtiam ſummi philoſophi, atque etiam prudentiam. quoniam videbat finitionem illam quam falſam eſſe conuicit deductione ad abſurdum, antiquis philoſophis placuiſſe, ne ab illis reprehẽderetur, qui finitionẽ probabãt, ſententiam ſuã emolit, atque temperat dicens, ſe nihil velle temere definire ſed dumtaxat, inquirere quod probabilius videatur. Nam id ingens adfert operepræcium. hæc verò ſi cui parum probabuntur, non eſſe conſilium repugnare. idem multis alijs locis Ariſt. ſcribit, præſertim cap. primo. libri primi Topi. Quod non ob eam tantùm cauſam facit, quam explicuimus, ſed vt diſcentibus ad laborem calcaria addat: ne his contenti ſint, quæ ſunt ab alijs inuenta, ſed noua ſemper, atque meliora inquirant.* Modeſtia Ariſto.

*Ordinem relatorum conſtituere difficile eſt. ſed tamen, vt adiuuemus memoriam, tabulam ſubijciemus, in qua repoſita ſunt, quæ hoc prædicamento continentur. Modò illud admonuerimus, in relatis interdum ineſſe tria: Primùm ipſam habitudinem, Deinde fundamentum habitudinis, hoc eſt, id vnde habitudo ortum habet. Poſtremò ſubiectum habitudinis. Verbi gratia in patre eſt habitudo, quam vulgò paternitatem vocant, hoc eſt, referri ad filium. Eſt etiam fundamentum, vis gignendi. Nam hinc habitudo orta eſt. Homo verò ſubiectum eſt habitudinis, quia illam ſuſcipit, atque ab eadem ſumit appellationem.* Ordo relatorum.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

- *Ad aliquid.*
  - *Equiparantiæ*
    - *Simile*
    - *Diſsimile*
    - *Equale*
    - *Inequale*
    - *Cognatus*
      - *Sobrinus*
      - *Patruelis*
    - *Socius*
  - *Diſquiparantiæ*
    - *Dignius Relato*
      - *Magiſter*
      - *Pater*
      - *Duplum*
      - *Cauſa*
        - *Materia*
        - *Forma*
        - *Efficiens*
        - *Finis*
      - *Totum*
    - *Indignius Relato*
      - *Diſcipulus*
      - *Filius*
      - *Dimidium*
      - *Effectus*
      - *Pars*

*Equiparãtiæ relata.*

*Relata equiparantiæ illa vocantur, quæ referuntur habitudine eiuſdem nominis, atque appellationis.*

*Diſquiparãtiæ.*

*Diſquiparantiæ verò, quæ referuntur habitudine quadam diuerſæ appellationis. Hæc propoſitis exemplis conſtant.*

## ¶ *Argumentum.*

*IN præſenti capite Ariſt. ſuo more inquirit maximè proprium qualitatis, quò eadem à cæteris categorijs diſtinguatur. Hoc vt efficiat, communia prius qualitatis enumerat: & quatuor ſpecies qualitatis, quæ frequentiores ſunt, & minori negocio explanari poterant, tradit nobis, atque explicat, propoſita prius quadam deſcriptione qualitatis.*

Caput

(c) 2007 Ministerio de Cultura

# ¶Caput de qualitate.

QVamobrem qualitas conſequatur tres categorias iam à nobis explanatas, ſatis ſuperque dictum à nobis eſt. Nunc verò paucis dicere oportet, cur reliquas antecedat. Hoc enim explicare nō omnino facile eſt, & conducit ad intelligendam ſententiam Ariſtotelis. Quare tentandum eſt huius rei rationem reddere. Huius rei gratia conſiderandum in primis eſt, tria eſſe rerum genera. Quædam exiſtunt per ſe, vt ſubſtantia. Alia verò in alio ſunt, vt accidentia. Hæc rurſum duplici genere continentur, quædam incomplexa, quædam ſunt complexa, hoc eſt, cum alijs complicata. Prioris generis ſunt ſex reliquæ categoriæ, nēpe Agere, Pati, Vbi, Quando, Situm eſſe, atque Habere: quæ complexa vocantur, quoniam ortum habēt ſingula ex duabus categorijs iunctis inter ſeſe. Nam ex ſubſtātia, & quanto, duo ſumma genera efficiuntur, Vbi, & Quando, Ex ſubſtantia, & tempore, Quando. Ex ſubſtantia, & loco Vbi. Subſtantia cōiuncta qualitati, duo quoque gignit, Agere videlicet, atque Pati. Nā actio, & paſſio contingunt ſecūdum qualitatem: iuncta ſubſtantia relatis facit Situm eſſe, ſibi verò obuoluta efficit habere, vt copioſius monſtrabimus ſuo loco, & tempore. Quoniam ergo ſubſtātia exiſtit per ſe, principem locum tenet, conſequuntur tres aliæ ſimplices categoriæ, poſtremo verò loco compoſitæ collocantur.

Cur antecedat qualitas ſex alias categorias.

Triplicia genera rerum.

Cur complexę ſex categoriæ

Quis ſit titulus huius capitis.

De inſcriptione huius capitis non ſatis cōuenit inter veteres enarratores Ariſt. Alexander Aphrodiſienſis exiſtimat inſcribi debere de qualitate. Alij de quali: nulla verò ratione poſſe inſcribi de quali, & qualitate. Ratio eſt, quoniam pari ratione cætera prædicamenta haberēt geminam inſcriptionem, vt de quanto, & quantitate, de relatis, & relationibus. Quod nemo quidē fatebitur. Sed prætermiſſis aliorum opinionibus, ego ſic ſtatuo: Inſcribi debere de quali, & qualitate. Huius rei fidem facit exemplar Græcum, in quo ſcriptum reperio, περὶ ποιοῦ καὶ ποιότητος.

An rectè inſcribatur đ quali & qualitate.

Prīa rō.

Secunda ratio.

Accedit ad hoc, quòd Quale bifariam vſurpatur. Interdum pro



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ea re, quæ qualitate infecta eſt. Interdũ verò pro ipſa qualitate, qua quidpiam quale dicitur. Album enim, verbi gratia, veteres ab albore non diſtinguebant: quod Ariſt. in ſermone de quãto ſignificare viſus eſt, cùm diceret, Album ſolam qualitatem ſignificare. Cùm ergo quale interdum pro ſola qualitate vſurpetur, interdum pro eo, quod qualitate infectum eſt, vt hoc ipſum Ariſt. nobis ſignificaret, huic categoriæ titulũ fecit de quali, & qualitate: quaſi dicat nihil intereſſe quale, an qualitatem dicamus. Huius ſententiæ Porphirius autor eſt commentarijs in hunc locum. His verbis ita inſcripſit, vt vſum nominum indicaret. Nam quia qualitas, quale ipſum dicitur, voluit ſignificare nihil referre, ſiue qualitatem, ſiue quale prædicamentum ipſum appellemus. Si enim quale non ſolùm qualitatem, ſed etiã quod illam habet, ſignificat, neceſſe erat, vt id ex qualitatis, & qualis nomine cognoſceremus. Non oportet autem ſimili modo inſcribi cætera prædicamenta accidentis: cùm diuerſa ſit forma in illis ab ea re, quæ formam ſuſcipit: aliud eſt enim quantum, aliud quantitas.

*Porphirius.*

*Cur non cæteræ categoriæ ſimiliter iſcribãtur*

Neq; prætereà neceſſe eſt, plures quàm decem categorias facere. Quoniam in eodem ordine collocãtur formæ rerum, atque etiam ipſæ res, quatenus formas ſuſcipiunt: vt candor, & candidum, quantum, & quantitas, priuationes quoque & negationes, affectiones etiam ipſarum formarum. Quod Ariſt. ſignificauit ad calcẽ quartæ ſpeciei qualitatis dicens: Sub quarta ſpecie non tantùm collocari figurã, ſed etiã curuum, & rectum, quæ ſunt affectiones figuræ. In eodẽ enim prædicamento exiſtunt iuſtum, iniuſtum, iuſticia, iniuſticia, iuſtè, & iniuſtè. Hoc tamen loco conſiderandũ nobis eſt, quòd ante ætatẽ Platonis nemo vnquam qualitatem à quali diſtinxit. Plato primus qualitatis nomine vſus eſt, atque illam à Quali ſeperauit, atq; diſcreuit, vt cõſtare poſsit ex dialogo, qui Theethetus inſcribitur. Ita enim ait: Quod patitur, eſt ſenſibile, ſed non dicitur ſenſus, efficiens quoque dicitur aliquid, quale, ſed non qualitas, forſitam igitur qualitas alienũ nomen eſſe videbitur. Quo loco primùm vſus eſt Plato voce ignota antiquitati: illam vocem Ariſto. amplexus eſt, & ad nos quoque peruenit. Quam nomine qualitatis Cicero in quæſtionibus academicis

*Solutio rationũ.*

*Nomen qualitatis quo tẽpore cœperit.*

*Plato.*

*Ariſtoteles.*

*Cicero.*

(c) 2007 Ministério de Cultura

cis vti reformidat. Offenditur enim vocis nouitate. quod facit etiam
cum pleriſque alijs nouis vocibus vtitur, quibus opus eſſe videt ad
explicandam Latinis literis Græcam philoſophiam. His explanatis
tēpus eſt iam, vt ſententiā Ariſt. de qualitate interpretemur, exor-
dientes à definitione eiuſdem, quæ his verbis ab eo traditur.

QValitatem verò dico, ſecundum quam quales quidam eſſe di-
cuntur.

Hoc eſt, qualitas eſt, qua qui affecti ſunt, quales vocantur, vt gra
matica: nam qui ea infectus eſt, grammaticus dicitur, ſimiliter etiā
fortitudo, à qua fortis vocatur, qui ea præditus eſt. Hæc autem deſcri
ptio qualitatis, ſi formam loquendi inſpiciamus, ab Ariſt. excogita-
ta eſt. vtitur enim eo verbo, Dico.

Aduerſus iſtam deſcriptionē ſic obijcio: Ea inepta eſt, ergo Ariſt. Obiectio.
qui eadem eſt vſus ad explicandam qualitatem, reprehendi debet,
Conſequentia manifeſta eſt, & antecedens probo. Nam definitio de Pria rō.
bet his, quæ ſunt priora, conſtare, hæc verò non conſtat prioribus, er-
go definitio qualitatis non eſt. Diſcurſus eſt legitimus, & maior pro
poſitio eſt Ariſt. quinto Topico. Minor probatur: nā quale, poſterius
qualitate eſt, ſiquidem quale dicitur, quoniam qualitate infectū eſt,
ergo ferenda non eſt hæc finitio qualitatis. Accedit ad hoc, quod ſi Secunda
huiuſmodi finitio probari poſſet, fieret circulus in definiendo, qui to- ratio.
lerari non debet: alioqui nihil per definitionem ſciremus. Quòd autē
hoc conſequatur, hinc conſtat: qualitas enim eſt, qua dicimur quales,
qualia verò, quæ à qualitatibus denominantur. Poſtremò quia ſi qua Tertia ra
litas per quale monſtraretur, & quale per qualitatem, qualitas mon tio.
ſtraretur per qualitatē, & quale per qualia: quo nihil abſurdius eſſe
poteſt. Vt tamen obiecta diluamus, in primis animeduertendum no- Obſerua
bis eſt, quòd genera ſuprema non poſſunt definiri definitione ſub- tio.
ſtantiali, hoc eſt, oratione explicante quod quid erat eſſe. Ratio- Quo pa=
nem reddidimus commentarijs in caput de differentia. Quare ſiquis cto ſupre
modus eſt explicandi ſupremum genus, eſt quidem per deſcriptio- ma gene-
nem: quæ non conſtat veris rerum differentijs, ſed accidentarijs. ne- ra opor=
que efficitur ex prioribus, atque notioribus natura, hoc eſt, abſolu- teat ex=
planare.

 tè,

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Quæſtio. Soluitur.* te, atque ſimpliciter, ſed ex nobis notioribus, atque prioribus. Quare cũ qualitas ſupremũ genus ſit, neq; vera definitione explanari poßit, deſcriptione explicatur, quæ ex nobis notioribus efficitur. Eſt enim quale, quo qualitatem definimus, notius nobis, quàm ipſa qualitas. *Quale notius nobis eſt, q̃ qualitas.* Huius rei argumentum eſt, quia multi ex rudibus hominibus qualia nouerunt, qualitatem ipſam prorſus ignorantes: imò ex antiquis philoſophis, vt admonui paulò ſuperius, ante ætatem Platonis vix vnus, aut alter repertus eſt, qui crediderit diuerſam eſſe qualitatem à quali. Quare notius eſt quale, quàm qualitas, atque ex conſequenti recte explicata eſt ab Ariſto. ex quali qualitas. Eſt enim Quale *Quale vulgi verbum qualitas philoſophorum.* vulgi verbum, qualitas verò philoſophorum proprium, vt Cicero refert in academicis quæſtionibus, his verbis: Qualitates igitur appellaui, quas ποιοτήτας Græci vocant: quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum proprium: quare recte definita eſt ipſa qualitas. *Cicero in quæſtionibus academicis.* Ex his nullo negocio intelligi poteſt, quo pacto diluenda ſint quæ cõtra iſtam ſententiã initio diſputationis obiecimus. Eſt enim definitio effecta ex notioribus, non natura, ſed nobis, quod ſatis quidem eſt, cùm hæc non definitio ſit, ſed deſcriptio qualitatis: & *Soluũtur rationes.* cùm prius explanata qualitas ſit, apertior reddetur deſcriptio qualium, cognita qualitate.

Eſt autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur.

*Qualitas multipliciter dicitur.* Propoſita deſcriptione qualitatis, Ariſt. diuidit eandem. Hoc vt efficiat, admonet Qualitatem multis modis dici, habet enim multas ſpecies. Quod vt ſignificaret, dixit qualitatem eſſe ex eorum genere, quæ multipliciter dicuntur, hoc eſt, multas ſub ſe ſpecies continent. *Formæ qualitatis.* Rem iſtam veram eſſe demonſtrat Ariſto, recenſens quatuor diuerſas formas, aut ſpecies qualitatis. Illæ ſunt, habitus, diſpoſitio. naturalis potentia, vel impotentia. paßio, vel paßibilis qualitas. figura, & circa vnumquodque conſiſtens forma.

*Quæſtio. Vtrũ qualitas equiuoce dicatur.* Exiſtit hoc loco quæſtio, vtrùm qualitas equiuocè, hoc eſt, ratione diuerſa dicatur de quatuor formis cõmemoratis. Videtur enim quòd non dicatur vniuocè. *Prĩa rõ.* Primùm quia Ariſt. inquit, Qualitatem multipliciter dici: ac ſi diceret equiuocè. *Secunda.* Deinde quoniam formæ, quæ ex aduerſo

(c) 2007 Ministerio de Cultura

aduerſo genus diuidũt, ſimul natura ſunt, & vna nõ eſt prior, quàm altera, autore Ariſt. in poſtprædi. cap. de his, quæ ſunt ſimul: atqui Ariſt. iſtarum formarũ vnam primã vocat, alteram ſecundam &c. ergo non ſunt ſpecies qualitatis.

Secunda.

His tamen non obſtantibus, pro certo nobis habendum eſt, Qualitatem vniuocè dici de his omnibus, & has eſſe qualitatis ſpecies: quod ex verbis Ariſt. colligi poteſt. Appellat enim has ſpecies qualitatis, interdum verò genera qualitatis. Multipliciter verò in præſentia non eſt idem, quod equiuocè, ſed quod multis modis: quaſi dicat, multas qualitas ſub ſe ſpecies habet. nam πλεοναχῶς, hoc eſt, multipliciter non habet vnum tantùm intellectum, ſed multos potius, quemadmodum ἁπλῶς, hoc eſt, ſimpliciter, cui opponitur. Deinde Ariſt. non appellat primam ſpeciem, ſed vnam. Quòd ſi primam diceret, nõ ſignificaret natura primam eſſe, ſed dignitate: quod contingit etiam, cùm formas animalis numeramus, quæ quamuis ſimul omnes natura ſint, humana prior eſt cæteris, dignitate, atque præſtantia.

Diſoluitur ambiguitas.

Multipliciter quo ſenſu accipiatur.

Simpliciter.

Altera deinde quæſtio eſt, Vtrùm tantùm ſint quatuor ſpecies qualitatis, quas refert Ariſt. an præter has plures reperiantur. Videtur enim quòd plures ſint ex Ariſt. ſententia, qui poſtquam recẽſuit quatuor iſtas formas, ſubiungit, Et fortaſſe alij quoque apparebunt qualitatis modi: ſed qui maximè dicuntur, fere tot ſunt. Accedit ad hoc, quòd Ariſto. cap. xiiij. lib. v. de prima philoſophia, multos alios modos recenſet, quibus dicitur qualitas, ergo non ſunt tantùm quatuor qualitatis ſpecies.

Secunda quæſtio vtrùm tãtùm ſint quatuor ſpecies qualitatis.

Prĩa rõ.

Secunda.

Verùntamen nos dicimus, tantùm eſſe quatuor ſpecies qualitatis, quas dialecticus contẽplari debet. Hoc perſuadeo primũ teſtimonio Ariſt. qui duntaxat refert in præſentia quatuor differentias qualitatis. Deinde hoc probo ratione, quæ ita colligitur: tantùm quatuor modis qualitas conſiderari poteſt, ergo tãtùm ſunt quatuor ſpecies qualitatis. Diſcurſus legitimus eſt, vt apparet. Antecedens probatur hoc modo: Qualitas aut natura ineſt rei, aut extrinſecus accedit: ſi accedat extrinſecus, aut difficilè comparatur, & comparata ægrè abijcitur, aut facilè comparatur, atque abijcitur, poſtquàm comparata eſt:

Quæſtio ſoluitur.

Prĩa rõ.

Secunda.

Syllogiſmus, quo colligitur numerus formarum qualitatis.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Diſpoſitio. ſi facilè cōparetur, & admittatur, eſt diſpoſitio: ſi difficilè, eſt habit⁹. Vtraque enim qualitas extrinſecus accedit, & hac ratione diſtinguitur. Quare efficitur prima ſpecies qualitatis. Si qualitas inſit natura, aut conſideratur ſecundum potentiam, aut ſecundum actionē, ſi primo modo, ita vt ea dicamur natura apti ad agendū aliquid, aut paciēdum, fit ſecunda ſpecies qualitatis, nempe naturalis potentia, aut impotentia. Si ſecūdum actionē conſideretur, aut in ſuperficie rei ineſt, aut ortum habet ex his, quæ intra rem ſunt: ſi inſit in ſuperficie, figura dicitur, vel forma conſiſtens circa vnumquodq;, quæ eſt quarta ſpecies qualitatis. Si ab his naſcitur, quæ intra rem exiſtunt, tertia gignitur qualitatis ſpecies, quæ vocatur paßio, vel paſſibilis qualitas. ſed nō ſunt vlli alij modi qualitatis præter iſtos quatuor, quos diuiſione collegimus, ergo tantùm ſunt quatuor ſpecies qualitatis. Iſta etiam ratione numerus colligitur: Qualitas, eſt modus quidam rei, modus autem vel pertinet ad naturam rei, vel ad actionem, vel quantitatem: ſi ad naturam pertineat, fit prima ſpecies, nam habitus, & diſpoſitio naturam perficiunt. Si ad actionem, aut ad principium agendi, vel finem. ſi ad principium, eſt naturalis potentia, vel impotentia. Si ad finem, paßio, vel paßiua qualitas, quia oriuntur ex paßione. Si verò ad quantitatem, eſt figura, vel forma circa hoc aliquid conſiſtens. Quare tantùm quatuor ſpecies ſunt.

Naturalis potentia, vel ĩpotētia. Figura. Paßio.

Altera ratio colligendi munerū formarū qualitatis.

Obiectio. Obijciet quiſpiam, ergo non exacte de qualitate diſſeruit Ariſt. in categorijs, quandoquidem prætermiſit plures alias formas qualitatis, aut modos, quibus ea dicitur. Diluitur Verùm huic obiectioni adhibenda diſtinctio eſt, atq; dicēdum de qualitate Ariſt. in præſentia nō omnino exactè diſſeruiſſe. diſſeruit tamen tam exactè, quàm paciebatur natura ingenij eorū, quibus categoriæ ſcriptæ ſunt. Cùm enim categorias Ariſt. ſcripſerit hijs, qui iniciantur dialecticæ, ea debuit prætermittere, quæ difficile explicari, & intelligi poterant: ea verò dicere, quæ facilè percipi poſſent, more prudētis præceptoris, qui, vt Quintilianus præcipit, debet ſe ſubmittere menſuræ diſcētis. In libris verò de prima philoſophia, quos confecit Ariſt. optime inſtitutis, & minimè rudibus, nihil mirū eſt, ſi hanc rem tractarit Ariſto. tam diligenter, quàm

Qua ratione de qualitate ĩ pſentia diſſeruerit Ariſt. Quintilianus.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*quàm illud rei natura patiebatur. Conſequitur deinde alia dubitatio, ea eſt. Vtrum aliquã rationẽ Ariſt. ſequutus ſit in collocãdis quatuor iſtis formis qualitatis, an potius temerè. & fortuito id fecerit? Et quidem, vt paucis rẽ abſoluamus, dicẽdum nobis eſt, in reponẽdis, & collocãdis his formis Ariſt. rationem fuiſſe ſequutũ eius ſubiecti, in quo ſunt. Habitus igitur, & diſpoſitio primum locum habẽt, quia rei animatæ inſunt: nihil eſt enim. quod diſponi poſſit, vel habitũ cõparare, niſi id anima præditum ſit, vt ſuo loco monſtrabimus.*

*In prima philoſophia quã rõe đ hijs egerit. Cuius rei rationem habuerit in collocãdis formis qualitatis.*

*Secundo loco naturalis potentia, vel impotentia collocatur: quia quod natura conſtat, proximum eſt animato. Succedit his paſſio, vel paſſibilis qualitas, quoniã proximè ex naturali potẽtia, vel impotentia ortum habet: agit enim aliquid patiturve, quoniã naturali potentia, vel impotentia eſt præditum. Quarto loco exiſtit figura, vel circa vnumquodq; conſiſtens forma: quoniam in ſuperficie rei ineſt, & neque agit, neque patitur quidpiam.*

*Obijciet aliquis, prius collocari debere ſecundam ſpeciem, quàm primam, hoc argumento. Prius eſt potentia, quàm actus, & quàm habitus, nam habitus perficit potentiam agendi, ergo non rectè ſpecies collocatæ ſunt ab Ariſtotele. Sed obiectio facile diluitur, ſi dicamus habitum eſſe potentia præſtantiorem, atque ideo deberi eidem principem locum, non potentiæ.*

*Obiectio.*

*Diluitur.*

Et vna quidẽ ſpecies qualitatis, Habitus, & Diſpoſitio dicãtur. Differt autẽ Habitus à Diſpoſitione, quòd permanẽtior, & diuturnior eſt. Tales verò ſunt ſciẽtiæ, & virtutes. Scientia enim videtur eſſe permanentiũ, & eorũ, quæ difficilè moueãtur, ſi quis vel mediocriter ſumat ſciẽtiã: niſi grãdis permutatio facta ſit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiuſmodi. Similiter autẽ & Virtus, vt iuſtitia, & tẽperantia, & ſingula taliũ, non videntur poſſe moueri, neq; facilè permutari. Diſpoſitiones verò dicũtur, quę ſunt facilè mobiles, & citò permutabiles: vt calor, & frigiditas, & ægritudo, & ſanitas, & quæcũq; alia huiuſmodi: afficitur enĩ quodãmodò ſecundũ eas homo, citò autẽ permutatur, & ex calido frigid⁹ fit, & ex ſanitate in ęgritudinẽ trãſit. Similiter aũt & in aliis, niſi fortè in his quoq; cõtingat p tẽporis lõgitudinẽ in naturã cuiuſq; trãſferri, & immobilis, vel difficilè mobilis exiſtẽs quoniã iã quilibet Habitũ vocet. Manifeſtũ eſt autẽ, quoniã hæc volũt Habit⁹ dicere, q̃ ſunt



(c) 2007 Ministerio de Cultura

diuturniora, vel difficilè mobilia: nanque in diſciplinis nõ multũ retinentes, ſed facilè mobiles, non dicentur habitũ habere, quamuis ſint ad diſciplinam peius, meliúſve diſpoſiti: quare differt Habitus à Diſpoſitione, quòd hæc quidem facilè mobilis ſit: ille verò diuturnior, & difficilius mobilis. Sunt autem habitus etiam diſpoſitiones: diſpoſitiones verò non neceſſe eſt habitus eſſe: qui enim retinent habitum, & quodammodò diſpoſiti ſunt ad ea quæ habent, vel peius, vel melius: qui autem diſpoſiti ſunt, nõ omninò retinent habitum.

*Inductione probat*

*Admonuit qualitatem multas ſub ſe formas habere. Hoc probat inductione. Recenſet enim illas, atque ait, Primam ſpeciem qualitatis eſſe habitum, & diſpoſitionem. Quo loco explanat, quid vtrunq; ſit, & quo pacto habitus, & diſpoſitio differant. Prima ergo ſpecies qualitatis, vt. Ariſt. inquit, eſt habitus, & diſpoſitio. Illud verò inter habitum, & diſpoſitionem diſcrimen verſatur eodem autore, quòd habitus, qualitas eſt difficilè mobilis à ſubiecto. Diſpoſitio verò, qualitas eſt, quæ à ſubiecto facilè dimoueri poſſit. Rem probat Ariſt. primùm exemplo virtutum, & ſciẽtiarum, quæ quoniam habitus ſunt, à ſubiecto, in quo exiſtunt, difficilè auferri poſſunt. Sanitas verò, & ægritudo, quæ ſunt affectiones, ſeu diſpoſitiones, ſuapte natura facilè dimoueri poſſunt à ſubiecto. Siquidem exiguo negocio ab ægritudine in ſanitatem, & à valetudine in morbum permutamur: niſi ob temporis longinquitatem ipſa ægritudo tranſierit in naturam: quod contingit in ethica febre. Tunc enim qualitas quæ natura ſua affectio erat, aut diſpoſitio, fit habitus.*

*Prĩa ſpecies qualitatis.*

*Habitus diſpoſitio*

*Ab ethimologia.*

*Ab autoritate.*

*Secundo idem probat argumento ab ethimologia. ἕξις enim ſignificat qualitatem, quæ aut non omnino, aut difficilè poſſit ſeparari. Nam, ἔχω, vnde vox ducta eſt, retinere ſignificat. Eandem ſententiam Ariſt, teſtimonio doctorum hominum, & communi loquendi ratione confirmat. Illos enim, qui ita affecti ſunt ad ſcientiam, aut virtutem, vt illas non omnino retineant, ſed facilè abijciant, non dicimus habitum habere ſcientiæ, aut virtutis, ſed affectos eſſe, vel diſpoſitos ad virtutem, aut ſciẽtiam. Illos autem, qui vel virtutem, vel ſcientiam ita comparauerunt, vt retineant vehementer, neque facilè eaſdem poſſint abijcere, habere virtutem, aut ſcientiam dicimus*

*inter*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

inter habitum verò, & diſpoſitionem illud diſcrimen verſatur, quòd quicunque habitum retinet alicuius virtutis, aut ſcientiæ, non ſolum habere illam dicitur, ſed etiam diſpoſitus eſſe ſecundum illum habitum. Dici enim vulgò ſolet, habentem ſcientiam diſpoſitum eſſe, vt cauſam reddere poſsit. Quoniam verò hoc non omnino verum eſt, ſubiungit Ariſt. Qui retinent habitum, quodammodo diſpoſiti ſunt ad ea, quæ habent, virtutem, inquam, aut ſcientiam, vel peius, vel melius. &c. Non eſt tamen neceſſarium, vt qui diſpoſitus, aut affectus eſt, habitum quoque habeat. Conſequitur ergo diſpoſitio habitū, non tamen habitus diſpoſitionem. Siquidem rectè colligas: habeo habitū, ergo diſpoſitus ſum ipſo habitu, non contrà, diſpoſitus ſum, ergo habitum habeo.

*Diſcrimē habitus, & diſpoſitionis.*

Secundum diſcrimen inter habitum, & diſpoſitionem illud eſt, quòd ex diſpoſitione, habitus fieri poteſt, propter temporis longinquitatem, vt in morbis accidit: ex habitu verò diſpoſitio non fit, habitus enim non eſt via ad diſpoſitionē vlla ratione. Anteà tamen quàm ad ſecundam ſpeciem qualitatis contendamus, pauca mihi dicenda ſunt, quæ nouiſſe fuerit operæprecium, ad aſſequendam ſententiam Ariſt. hoc loco. In primis verò explicare oportet, quo ſenſu accipiat Ariſt. habitum, cùm inquit, Primam qualitatis ſpeciem eſſe Habitum, & diſpoſitionē, vt omnis ambigendi occaſio de medio tollatur. Habitus ergo bifariam dicitur apud Ariſt. Interdum enim actū habētis ſignificat, & rei quæ habetur. Interdum quandam qualitatem tenaciter hærentem ſubiecto. Priori quidem intellectu conficit prædicamentū Habere: poſteriori verò accipitur ab Ariſtotele hoc loco.

*Quodammodo.*

*Secūdum diſcrimē.*

*Habitus quo ſenſu accipiatur in præſentia.*

*Bifariam habit' dicitur.*

Quæret ſtatim aliquis, quid ſit habitus, quem facit Ariſt. primam ſpeciem qualitatis. Quæſtio verò facilè diluitur ex ſententia Ariſto. Eſt enim habitus, qualitas quædam exercitatione comparata, tenaciter adhærens ſubiecto, & promptiorem reddens potentiam, in qua exiſtit, ad agendum. Verbi gratia, ſcientia, ars, virtus, inſunt enim ſingulis iſtorum omnia, quæ diximus. Nam virtus moralis exercitatione acquiritur. cap. i. lib. ij. Ethi. Vnde moralis à more, & conſuetudine dicta eſt. Deinde tenaciter hæret ſubiecto. Cuius rei argumen-

*Quid ſit habitus.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*tum illud eſt, quòd ab eo non facilè dimouetur: is enim qui vel virtutem, vel ſcientiam habet, difficilè illam amittit. Rurſum qui virtutem habet, promptior fit ad agendum. Hoc inde conſtat, quòd qui virtutem habet, agit quæ pertinent ad virtutem magna animi alacritate, & promptitudine, atque etiam cum voluptate. Nam torpor (qui natura nobis ineſt,) ad agendum ſtudioſe, depellitur ipſa conſuetudine, atque exercitatione, qua habitus comparatur. Hoc apertius conſtabit in mechanicis artificibus, vt in citharedis auledis.*

*Habitus exercitatione comparatur, non ineſt nobis natura.*

*Quare habitus, cuius meminit Ariſto. hoc loco, exercitatione paratur, non ineſt nobis natura: Non enim nouit ille, habitus illos, quos infuſos vocamus: tametſi ad primam iſtam ſpeciem Qualitatis ſint referendi. Rurſum huiuſmodi habitus non poteſt in rebus anima vacantibus ineſſe. Eorum enim, quæ natura fiunt (vt ſcribit Ariſt. cap. vi. lib. i. magnorum Moralium) nihil eſt, quod aſſuetudine aliud euadat. Velut lapis, grauiaque prorſus omnia, quæ ferendi deorſum vim adnatam habent: ſi à quouis ſurſum verſus iactari aſſueſcant, nunquam tamen ſurſum attollentur, ſed ſemper deorſum cadent. Idem ſcribit Ethico. ij. quo loco de ortu virtutis agit.*

*Quib⁹ inesse habitus poſſit.*

*Non ineſt oĩbus anima prædi tis.*

*Horati⁹.*

*Neque ineſt in omnibus anima præditis Habitus. Nam neq; plantæ, quæ vegetalem animam habent, neque bruta, quæ ſenſibilem, habitum cuiuſpiam rei parare poſſunt. Nam canis ſi feram aggreditur in ſilua, poſtquam ceruinam pellem latrauit in aula, vt ille ait, non id facit ex habitu, ſed inſtigatus, atque impulſus ab ipſa natura, vel ſignis quibuſdam excitatus. Quamobrem ſolùm homines habitum exercitatione parare poſſunt. Non tamen in omnibus corporis partibus, ſed in illis tantùm, quæ imperio voluntatis ſubiectæ ſunt, atque eidem parere poſſunt. In intellectu enim ſcientia, ars, intellectus, prudentia, opinio comparari poſſunt. In appetitu morales virtutes, Iuſticia, Temperantia, Continentia, Liberalitas, Fortitudo. In manibus habitus alij, quibus artes mechanicæ, & quæ manu exercentur, opus habent. Nam ſenſus, & vis nutriendi, & augendi comparare habitum non poſſunt. Conſtat id familiaribus experimentis, vt interim rationem taceamus.*

*Quibus partibus habitũ cõparemus.*

*Quemad-*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Quemadmodum ergo habitus ſolùm collocantur in ea parte hominis, quæ rationem in ſe habet vel eam ſentit aut eidem obtemperat, ſic etiam de diſpoſitione cenſendum eſt, cum diſpoſitio ſit veluti via quædam ad habitum, & exercitatione vt habitus adquiritur, tametſi non longa illa quidem. nam vt Ariſt. in præſentia habituum naturalium mentionem non facit. fortaſſe enim multas eſſe putauit, ita quoque mentionem tantũ facit, diſpoſitionũ quæ extrinſecus accedunt & quæ vſu atq; exercitatione parantur. nam calor & frigus ſanitas, & ægritudo quibus vtitur Ariſto. tanquam diſpoſitionibus extrinſecus homini accedunt, vſu parantur & exercitatione homini inſunt, vt planè conſtat.* *Diſpoſitio quarũ partiũ ſit.*

*Exiſtit deinde quæſtio vtrum fieri poſsit, vt vna tantum actione gignatur habitus quicunque ille ſit. ait quidam fieri id optime poſſe. nam vnus actus ſciendi hoc eſt vnica demonſtratio habitum ſcientiæ gignit, cæteri verò habitus multis actionibus comparantur. verũtamen qui hoc aſſerunt, neque Ariſto. in hac quæſtione præceptorem habere voluerunt, neque naturam atque ſubſtantiam habitus ſatis nouerunt. Quare ego ita ſtatuo fieri nullo pacto poſſe vt vna tãtum actione etiam ſi demonſtratiua illa ſit poſsit quiſpiam habitum comparare, imò neque diſpoſitionem, quinimo multis actionibus ad habitum comparandum opus eſt. hoc probo duobus potiſsimum argumentis. Primum ſumo ex natura habitus, hoc modo, habitus eſt qualitas quæ tenaciter hæret & difficile dimoueri à ſubiecto poteſt, vt ait Ariſto. cum aſsignat diſcrimen inter habitum & diſpoſitionem, ſed vna demonſtratione non comparatur ſimilis qualitas, ergo neque habitus, diſcurſus legitimus eſt & maior aperta minor probatur, quoniam ſublata de medio demonſtratione non manet amplius eius effectus, aut facilè excidit. Deinde ab effectu, quoniam habitus potentiam in qua exiſtit propenſam reddit ad agendum vel contemplandum, hoc non facit illa demonſtratio. vt enim experientia docet, non magis propenſus redditur ad contemplandum is qui accepit demonſtrationem ea de medio ſublata quàm ſi illam non habuiſſet.*

*Quæſtio vtrũ vna tãtũ actio gignat habitum.*

*Carpit quẽdam.*

*Noſtra ſẽtentia.*

*Primũ argumẽtũ.*

*Secũdum argumentum.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Obiectio. *Obijciet fortaſſe quiſpiam, proprium habitus eſt, firmum eſſe ſed ſcientia illa quã facit vna demonſtratio firma eſt cum ſit indiſuaſibilis à ratione Ariſt. autore. cap. ij. lib. i. de poſter. reſolut. ergo per vnam demonſtrationem fit habitus. hæc tamẽ obiectio facilè diſoluitur ſi intelligamus firmitatem eſſe duplicem vnam quæ ortum habet à ſubiecto quia illi tenaciter hæret, & ab eodem diuelli non niſi ingenti negocio poteſt. alia eſt firmitas, quæ ortum habet a ratione. ergo habitus firmus eſt priori intellectu, quoniã tam altas radices egit, vt vix poſsit à ſubiecto dimoueri. & ad hoc opus eſt multis demonſtrationibus. illa verò firmitas quæ à ratione prouenit ineſt quidem actui ſciendi quem gignit demonſtratio. quoniam ratio adducta ad faciendam fidem neceſſaria eſt, & cum adeſt cogit aduerſarium, neque vlla contraria ratione à ſententia poteſt dimoueri.*

Diſolui-tur.

Duplex firmitas.

Quæſtio. Quomodo differant habitus & diſpoſitio. *Cum autem dicat Ariſt. differre quidem habitum & diſpoſitionem quæſtio eſt quomodo differant, numero ne an ſpecie an genere. nam his tribus modis res contingit differre. in hac quæſtione diuerſæ olim ſententiæ fuerunt. ego tamen cæteris exploſis probabiliorẽ mihi paucis explicabo. in primis habitus & diſpoſitio non diſcrepant genere, quoniam habẽt commune genus, nempe qualitatem. cuius primã ſpeciem Ariſt. facit habitum atque diſpoſitionem. deinde ſpecie nõ differunt, nam Ariſt. vtrunque vnam ſpeciem facit. accedit ad hoc quod duæ ſpecies diuerſæ nõ poſſunt de ſeinuicem prædicari, vt homo de equo. aut equus de homine. atqui diſpoſitio de habitu dicitur, cum ſit habitus diſpoſitio Ariſt. autore. ergo non ſunt diuerſa ſpecie. Tertio diuturnitas temporis, aut breuitas non efficit diuerſam ſpeciem. Socrates enim ſenex nõ differt ſpecie à Socrate iuuene, tametſi temporis diuturnitate diſtinguantur ſed habitus & diſpoſitio tẽpore differunt: quia habitus diuturnior eſt & permanentior, diſpoſitio verò minus firma, atque diuturna ergo non differunt ſpecie. poſtremo, diſcrimen quod ex materia ſumitur nõ efficit res ſpecie diuerſas. diuerſa enim ſpecies ex forma efficitur, quæ ſpeciem facit, nõ ex materia. ſed habitus & diſpoſitio ratione materiæ differunt quia habitus tenaciter adhæret ſubiecto, diſpoſitio tenuiter atque leuiter, ergo*

Nõ differunt genere.

Neque ſpecie.

1

2

3

4



(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſpecie non differunt atqui duo iſta diuerſa ſunt, ergo à ſufficienti par tium enumeratione numero tantum diſtinguntur: quemadmodum Socrates iuuenis ab ipſo Socrate ſene numero tãtum differt, ratio eſt quoniam maius aut minus tempus tenatius aut leuius ſubiecto hære re ſolum efficit diſcrimen ſecundum numerum, atqui habitus & diſpoſitio ſolum diſtinguntur duobus his nominibus vt ex vtriuſque finitione conſtare poſsit, in hac opinione ſunt Porphirius, Hamonius, Boetius.

*Numero tantũ diſ ferunt.*

Hinc ſequitur diſpoſitionem non eſſe genus habitus, vt quibuſdam viſum eſt. ratio eſt quoniã in quibus eſt magis & minus, quod minus dicitur non poteſt eſſe genus eius, quod dicitur magis, minus enim album non eſt genus eius quod magis album dicitur atqui habitus & diſpoſitio (vt oſtenſum eſt) ſecundum magis & minus differunt ergo vnum alterius genus non eſt. non enim ſatis eſt vt diſpoſitio ſit genus habitus quòd omnis habitus diſpoſitio quodammodo ſit non omnis diſpoſitio ſit habitus.

*Diſpoſitio nõ eſt genus habitus.*

Verum cum ſcientia multis modis ſumatur cum Ariſto. ſcientias inquit, habitus eſſe & in prima ſpecie qualitatis collocari ſcientiam accipit pro arte. cum enim ex familiari vſu loquendi probet ſcientias eſſe habitus, dubitari non debet de artibus loqui, quæ vulgo ſunt notæ non de ſcientijs exactis atque perfectis. quamuis omnes ſcientiæ habitus ſint ſub prima ſpecie qualitatis conſtituti. nam qui ſcientiam vel mediocriter comparauerit non facilè illam amittet, niſi grandis permutatio facta ſit vel ab ægritudine, quod meſalæ coruino accidit, qui morbo amiſit diſciplinas quas perfecte nouerat. & quod euenit nobili cuidam viro ciui meo qui vi morbi etiã proprij nominis memoriam amiſit. vel etiam longa ſtudioſorum intermiſsione, quod in multis videmus euenire, aut per contrarium habitum, nam contraria mutuo ſe expellunt, aut læſa memoria, vulnere aliquo accepto.

*Quo ſenſu accipiat ſciẽtiã hoc loco Ariſt.*

*Scientiæ interitꝰ.*

Virtutes etiam, inquit Ariſt. habitus eſſe ſed cum illæ duplici genere cõtineantur vt Ariſt. ſcribit lib. ij. Ethi. ad nichomachum, quædam enim natura inſunt etiã brutis animantibus vt probitas anſeri, ciconiæ iuſtitia, caſtitas turturi, aliæ verò, vſu & exercitatione com

*Virtutes quas vocet in præſentia.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*parantur, quas ob eam cauſam virtutes morũ vocamus Ariſt. in præſentia ſecundum iſtud genus virtutum habitum vocat, atque illas refert ad primam ſpeciem qualitatis. In iſta verò ſpecie qualitatis primo loco ponuntur habitus & diſpoſitio, ſub habitu proximè exiſtũt virtutes atq; ſciẽtiæ. ſcientia ſub ſe multas formas habet, & quas in præſentia recenſere longum eſſet. ſimiliter de virtute cẽſendum eſt, referam tamen hoc loco maximam partem eorũ quæ ſub habitu & diſpoſitione continentur. atque hæc velut in tabula monſtrabo.*

*Quænam exiſtãt in prima ſpecie qualitatis.*

¶*Tabula primæ ſpeciei qualitatis.*

- *Habitus diſpoſitio.*
  - *Corporis*
    - *Dimicandi*
    - *Pulſandi fides*
    - *Ludendi pila*
  - *Animæ*
    - *In fuſus*
      - *Intellectualis* — *Fides*
      - *Nõ intellectualis* — *Charitas*
    - *Acquiſitus*
      - *Moralis*
        - *Iuſtitia*
        - *Continẽtia*
        - *Tẽperãtia*
        - *liberalitas*
        - *Fortitudo*
      - *Intellectualis*
        - *Sapientia*
        - *Intellectus*
        - *Scientia*
        - *Ars*
        - *Prudẽtia.*

*De ſe-*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

## ¶ De ſecunda ſpecie qualitatis.

ALiud verò genus qualitatis eſt, ſecũdũ quod pugillatores, vel curſores, vel ſalubres, vel inſalulubres dicimus: & ſimpliciter quæcunq; ſecũdum potentiã naturalẽ, vel impotentiã dicũtur, Non enim quoniam ſunt diſpoſiti aliquo modo vnumquodque huiuſmodi dicitur, ſed quòd habent naturalem potentiam, vel impotentiã facilè quid dã facere, vel nihil pati: vt pugillatores, vel curſores dicũtur, non quòd ſint diſpoſiti aliquo modo, ſed quòd habeãt potentiam naturalem hoc facilè faciendi. Salubres verò dicuntur, eò quòd habeant potentiam naturalem vt nihil à quibuſlibet accidẽtibus facilè patiantur: Inſalubres verò quòd impotentiam habeant naturalem nihil facilè ab accidentibus patiendi. Similiter his & durum, & molle ſe habent. Durum enim dicitur, quod habeat potẽtiam non facilè ſecari: molle verò quod eiuſdem ipſius habeat impotentiam.

*Secundam ſpeciem qualitatis vocat Ariſt. genus qualitatis, quia cum ſupremum genus non ſit & ſub ſe alias ſpecies habeat, genus atque ſpecies meritò dicitur.*

*Secunda ſpecies qualitatis eſt, naturalis potẽtia vel impotẽtia vt pugilator, & curſor. ſignificat enim pugilator eum qui præditus eſt naturali quadam facultate ad pugnandum. ſunt id genus qui natura cõſtant corpore robuſto magniſque viribus. Curſor verò eum qui naturalem potentiam habet ad currendum vt qui leue corpus habet, ſuraſque non magnas. Hiſpane dicimus habil para correr.* *Pugilator.* *Curſor.*

*Differt autem pugilator à pugili, quòd pugil artem pugnandi nouit, pugilator facultatẽ ad hanc rem naturalem habet. Sunt autẽ hæ qualitates quoniã ſecũdum eas quales dicuntur qui eiſdem ſunt præditi. quoniam verò vnum nomen ſimplex atque inconiunctum non eſt, quo ſecundam iſtam formam qualitatis exprimamus, coniuncta voce vtimur & naturalem potentiam vel impotentiam vocamus. Ad hanc itaque ſpeciem pertinet pugilator & curſor, vt diximus, item ſalubre & inſalubre durum atque molle. ſalubre enim dicitur quod non facilè lædi poteſt. inſalubre quod facilè poteſt lædi atq; in morbum incidere. molle quod facilè cedit tangenti. durum quod potentiam habet reſiſtendi tangenti.* *Quę referãtur ad iſtam formam.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Triplex potentia.* *Quoniam verò naturalis potentia triplex eſt, vna agendi, altera patiendi, tertia nõ paciendi, Ariſt. vſus eſt exemplis, omniũ iſtarum potentiarum. nam pugilator & curſor agendi potentiam dicunt. inſalubre & molle potentiam paciendi. ſalubre & durum potentiam non paciendi.*

*Quæſtio.* *Exiſtit hoc loco quæſtio quid cauſæ ſit cur Ariſt. cum exemplis aperit ſecundam iſtam ſpeciem qualitatis, potentiæ paciendi opponit potentiam non paciendi. at verò potentiæ agendi non opponit potentiam non agendi? nullum enim exemplum adhibet potentiæ nõ agendi, huius rei ratio eſt, quoniam omne quod potentiam habet patiendi, habet etiã potentiam non patiendi. quod verò agendi potentia præditum eſt, non oportet habere potentiã non agendi. res exemplis conſtare poſſit, quod enim potentiam habet ægrotandi, habet etiam non ægrotandi potentiam. & quod habet potentiam reſiſtẽdi. habet etiã potentiam non reſiſtendi. quare ſalubri inſalubre oppoſuit, & duro molle. in potentia verò agẽdi non perinde euenit, nam nõ omne quod habet agendi quidpiam potentiam habet etiam potentiam idipſum non agendi. hoc conſtat in agẽtibus neceſſario, hoc eſt ſecundum naturam. nam ignis vrendi potentiam habet non vrendi minime.*

*Cur potẽtiæ agẽdi non opponit potentiam non agendi.*

*Agentia neceſſario.* *Agentia verò libera poteſtatem agendi habent atque etiam nõ agendi, hoc conſtat exemplo artificum omnium qui vt habent naturalem facultatem agendi ſecundum artem ita quoque facultate non agendi ſunt præditi. hæc ergo cauſa fuit cur Ariſt. nõ oppoſuit agendi potentiæ, potentiam non agendi, at verò potentiæ patiendi obiecit potentiam non patiendi. vt ſubducta exempla demonſtrant ratione à nobis reddita iam.*

*Agentia libera.*

*Impotentia naturalis.* *Animaduertite tamen quòd cum inquit Ariſto. ſecundum genus qualitatis eſſe naturalem potẽtiam, vel impotentiam, impotentia nõ eſt nomen quod priuet ſed ſtatuit potius aliquid. impotẽtia enim eſt potentia ad non agendum vel vt res non patiatur. quare potentia & impotentia. vna atque eadem res eſt, nam habere potentiam rectè valendi, eſt habere impotentiã ægrotãdi aut potentiam nõ ægrotãdi quare vtrunque parũ re ipſa diſcrepat ratione tamen diſtinguũtur.*

*Sed*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Sed dicamus paucis quænam inſint in hac ſecunda ſpecie qualitatis in primis in ea exiſtũt omnia propria, cuiusuis illa ſpeciei fuerint. nam illa ſecundum potentiam conſiderantur, ſiue ad recipiendũ pertineat ſiue ad agendum.* *Quænam exiſtant in ſecunda ſpecie qualitatis.*

*Deinde omnes facultates vegetales vt facultas nutriendi, augeſcendi, generandi.* *Primũ.*

*Tertio, ſexus vterque virilis inquam & fœmineus.* *Secũdũ.*

*Quarto, potentiæ ſentiendi ſiue internæ illæ ſint, ſiue externæ.* *Tertiũ.*

*Rurſum naturales propenſiones ad ſcientias, virtutes, aut vitia.* *Quartũ.*

*Præterea complexio hominis & cæterorum animalium.* *Quintũ.* *Poſtremo virtutes omnes lapidum, metallorum, herbarum animalium. ſunt enim agendi aut patiendi potentiæ.* *Sextum.*

Tertia verò ſpecies qualitatis eſt, paſsibiles qualitates, & paſsiones. Sunt autem huiuſmodi, vt dulcedo, & amaritudo, & auſteritas, & omnia his cognata: amplius, & calor, & frigus, & albedo, & nigredo. Et quoniam hæ qualitates ſunt, manifeſtum eſt: quæcunque enim has ſuſceperint, qualia dicuntur ſecundum ipſas: vt mel quoniam dulcedinẽ ſuſcipit, dicitur dulce: & corpus album, quoniam albedinem ſuſcipit. Similiter autem ſeſe habent & in cæteris. Paſsibiles verò qualitates dicuntur, nõ quòd ea, quæ illas ſuſceperint qualitates, aliquid patiantur: neque enim mel, quoniam aliquid paſſum ſit, dicitur dulce, neque aliquid aliud huiuſmodi. Similiter autem his, & calor, & frigus paſsibiles qualitates dicuntur, non quòd ea, quæ illas ſuſcipiunt, aliquid paſſa ſint, ſed quoniam ſecundum ſenſus vnaquæque dictarum qualitatum paſsionis effectiua eſt, paſsibiles qualitates dicuntur: dulcedo enim paſſionem quandam ſecundum guſtum efficit, & calor ſecundum tactũ: Similiter autem & aliæ. Albedo autem, & nigredo, & cæteri colores, non ſimiliter his quæ dicta ſunt, paſsibiles qualitates dicũtur, ſed hoc, quòd ipſæ ab aliqua paſsione innaſcuntur. Quoniam enim fiunt propter aliquam paſsionem multæ colorum mutationes, manifeſtum eſt: erubeſcens enim aliquis, rubeus factus eſt: & timens, pallidus: & vnũquodque talium. Quare etiam ſi quis natura aliquid talium accidentium, perturbationúmve paſſus eſt, ſimilem colorem veriſimile eſt eũ habere. Quæ enim affectio nunc in eo quòd verecundetur, circa corpus facta eſt, etiam ſecundum naturalem conſtitutionem eadem fiet



(c) 2007 Ministerio de Cultura

affectio, vt & naturalis color ſimilis ſit. Quæcunque igitur talium acci dentium ab aliquibus paſsionibus difficilè mobilibus, & permanenti bus principium ſumpſerunt, paſsibiles qualitates dicuntur: ſiue enim ſecundum naturalem conſtitutionem pallor fit, aut nigredo, qualitates dicuntur, (quales enim ſecundum eas dicimur) ſiue propter ægritudinem longam, vel propter æſtum aliquid tale contingit, vel nigredo, vel pallor, & non facilè prætereunt, vel etiam in vita permanent, & paſsibiles qualitates iſtæ dicuntur: ſimiliter enim quales ſecundum eas dicimur. Quæcunque verò ex his fiunt, quæ facilè ſoluuntur & citò tranſeunt, paſsiones dicuntur, qualitates verò minimè: non enim aliqui ſecundum ipſas dicuntur quales: neque enim qui propter verecundiam rubeus factus eſt, rubeus dicitur: neque cui pallor propter timorem venit, pallidus eſt, ſed magis eo quòd aliquid paſſus eſt: quare Paſſiones quidem huiuſmodi dicuntur. Qualitates verò minimè. Similiter autem his, & ſecundum animam paſsibiles qualitates, & paſsiones dicuntur: quæcunque enim mox innaſcendo ab aliquibus paſsionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipſæ: vt amentia & ira, & alia huiuſmodi: quales enim ſecundum eas dicuntur, id eſt, iracundi, atque amentes. Similiter autem & quæcunque alienationes nõ naturales, ſed quæ ab aliquibus, aliis accidentibus factæ ſunt difficilè prætereuntes, vel etiam omninò immobiles, qualitates ſunt etiam huiuſmodi: quales enim & ſecundum eas dicuntur. Quæcunque verò ab iis quæ facilè, & citò prætereunt, fiunt, Paſsiones dicuntur: vt ſi quis cõ triſtatus, iracundior fiat. Non enim dicitur iracundus, qui huiuſmodi paſsione iracundior eſt, ſed magis quia aliquid paſſus: quare Paſsiones quidem huiuſmodi dicuntur. Qualitates verò minimè.

*Multa diſſerit Ariſt. de tertia ſpecie qualitatis quæ ſunt à me in compendium redigenda, ne plus æquo longa oratio moleſtiam adferat. tertiam ergo ſpeciem qualitatis vocat paſsionem & paſsiuas qualitates. rem docet exemplo, dicens vt dulcedo, amaritudo, calor & frigus. albor, nigror. adducit enim in exemplum obiecta ſenſuum trium guſtus inquam, viſus & tactus. omnes enim colores & ſapores & principes quatuor qualitates ad tertiam iſtam ſpeciem referuntur. ſunt enim vel paſsiuæ qualitates vel paſsiones. quòd autem qualitates ſint probat argumento ſumpto à definitione qualitatis. Qualitas enim eſt ſecundum quam quales eſſe dicuntur qui illam habent,*

*Tertia ſpecies qualitatis.*

*Sẽſibilia triũ ſenſuum.*

*ꝙ ſint qualitates.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

habent, ſed iſtis quales dicuntur, ergo qualitates ſunt. diſcurſus eſt legitimus & maior aperta, minor probatur inductione. nam mel dulce dicitur quia in ſe dulcedinem habet. item etiam corpus album quoniam candorem ſuſcepit & in cæteris ſimili modo euenit. Syllogiſmus.

Cur autem huiuſmodi qualitates paſſiuæ dicantur rationem reddit Ariſto. prius tamen cauſam refellit qua putant aliqui appellari paſſiuas qualitates cum inquit. Cur paſſiuæ.

Paſsibiles verò qualitates dicuntur non quòd hæc quæ &c.

Non vocãtur, inquit, qualitates paſſiuæ quoniã ſubiectum in quo exiſtũt ipſæ qualitates quidpiã patiatur cũ illas ſuſcipit, nihil enim patitur. nã mel à dulcedine quã in ſe habet nihil omnino patitur. neque corpus à cãdore, neq; ignis à calore. Duplici tamẽ ratione paſſiuæ dicũtur vel quoniã ingerũt aliquã paſſionẽ ſenſibus. vel quia ortum habẽt ab aliqua paſſione. res exẽplis conſtat, dulcedo enim & amaritudo paſſionẽ efficiunt ſecundũ guſtũ excitãt enim illũ, atq; permouẽt. calor vero & frigus paſſiuæ vocãtur, quoniã in ſenſu tactus paſſionẽ quandam efficiũt vt planè cõſtat. colores vero nõ dicũtur qualitates paſſiuæ quòd paſſionem in ſenſibus efficiant ſed ob id vnum quòd ortum habeant ex aliqua paſſione. Quoniam verò poſſet quiſpiam dubitare verum ne ſit quod inquit colores ortum habere ex aliqua paſſione hoc probat Ariſto. argumento ſumpto à minori, quod ita colligitur. ex paſſionibus temporarijs, aut perturbationibus naſcuntur aliqui colores ergo naſcentur etiam ex paſſionibus naturalibus. antecedens quidem verum eſt, nam ex metu fit palor, ex verecundia rubor, atque in cæteris ſimili modo, quod experiẽtia teſtatur. cum enim quiſpiam timet iuſſu naturæ ſanguis recurrit ad cor & externas partes corporis destituit & tandem color pallidus conſequitur. vnde illud, gelidus coit formidine ſanguis. cũ verò quiſpiam pudore adficitur ipſa natura vultui ſanguinem velut velamen obtendit more illorum qui ne cernant indigna, manum oculis admouent, quaſi dicere velit te verò ipſum maximè omnium pudeat, quod ſi ex temporarijs iſtis perturbationibus color innaſcitur proculdubio

Prĩa rõ. Secunda ratio. Sapores. Prĩcipes qualitates. Colores. ꝙ colores ex paſſione oriantur. Ex metu pallor. Ex pudore rubor.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Natura pallidus rubicundus.

idem continget ſecundum naturam. euenit nanque vt quiſpiam natura pallidus ſit, quod parum ſanguinis habeat. rubicundus autem natura eſt cui largus natura ſanguis ſuppetit, quare inquit Ariſto. qualitates paſſiuæ appellantur illæ quæ naſcuntur ex huiuſmodi paſſionibus modo illæ paſiones difficile recedant ſed vel naturales ſint vel extrinſecus accedãt. huiuſmodi eſt color qui vel longo morbo contrahitur, vel quem frigus aut calor efficiunt vel naturalis aliqua paſſio facit. omnes enim iſti colores quacunque cauſa orti ſint modo diu durent, paſſiuæ qualitates vocantur, ſi verò facilè diſcedant paſſiuæ qualitates minime dicuntur.

Paſſiones duplici genere cõtinentur.

Conſiderandum tamen eſt quòd quemadmodum ſunt paſſiones quædã & paſſiuæ qualitates quæ ad corpus ſpectant ita quoq; ſunt quæ ad animum pertineant. atque illæ duplices ſunt, quædam naturales, quæ ex quadam naturali paſſione oriuntur, aliæ comparatæ. natura enim quidam irati ſunt. Amentes alij rurſum quidam fortuito irati redduntur aut amentes ſed illæ paſſiones diu multumq́ue durãt. quod in cauſa eſt cur qualitates vocentur, cum denominent quales eos qui eas ſuſceperunt.

Obiectio

Sed aduerſus ſententiam Ariſt. hoc loco ſic obijcio paſſio non eſt qualitatis ſpecies ergo falſum eſt quod inquit tertiam ſpeciem qualitatis eſſe paſſionem & qualitates paſſiuas aſſumptum probo. paſſione non dicitur qualis qui illam ſuſcipit ergo non eſt qualitas. collectio legitima eſt à finitione qualitatis antecedens probo teſtimonio eiuſdem philoſophi hoc loco cum ait quæ facile ſoluuntur & cito tranſeunt paſſiones dicuntur. qualitates minime, non enim aliqui ſecundum eas dicuntur quales. item etiam paulò inferius cum ait. quæ ab his paſſionibus fiunt, quæ facilè & cito prætereunt, paſſiones dicuntur. qualitates verò minime. quare paſſio non eſt ſpecies qualitatis, vt ſcribit Ariſt.

Diluitur obiectio. Duplex paſſio eſt

Vt obiectionem diluamus conſiderãdum nobis eſt paſſionem eſſe duplicem vnam quidem quæ ſubito accidit & facilè abſcedit. vt cum quiſpiam rubet ex pudore, altera eſt quæ neque ex leui cauſa ortum habet neque facilè abſcedit, quæ eſt prioris generis non pertinet ad iſtam

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*iſtam categoriam quoniam non denominat qualem eum qui patitur, ſed potius pertinet ad prædicamentum paßionis, dicitur enim homo tunc temporis aut rubere, aut pallere, aut paſſus eſſe quidpiam ſimile. quæ verò eſt generis poſterioris, ad qualitatem pertinet, & ſecundum eam aliquid dicitur quale. iſtam verò diſtinctionem paßionis aperte inſinuat Ariſto. inquit enim, quæcunque ex his fiunt, quæ facile ſoluuntur & citò tranſeunt paßiones dicuntur qualitates minimè. quaſi velit ſignificare ſi nō facile ſoluantur paßiones eſſe quæ ſint, qualitates. idem quoqe refert paulo inferius, huiuſmodi eſt iracundia vnde homo iracundus vocatur. quo pacto à duabus prioribus formis qualitatis differat tertia hæc manifeſtum eſt. à prima differt. quia vel conſideratur ſecundum habitum vel diſponit ad aliud, tertia hæc ſecundum actionem accipitur & diſpoſitio alterius non eſt. à ſecunda verò quoniam illa ſecundum potentiam ſumitur hæc ſecūdum actionem.*

*Quæ paſſio procul abſit ab iſta categoria* — *Qua ratione iſta ſpecies qualitatis à duabus superioribus differat.*

*Sed iam paucis dicamus quænam exiſtant ſub tertia iſta forma.*

*Quæ exiſtant in iſta categoria.*

*In primis in ea inſunt colores omnes qui naſcuntur ex affectu cōſequenti conſtitutionem naturalem.* 1

*Deinde qualitates quæ tangi poſſunt præſertim verò principes atque effectrices qualitates, calor frigus, humiditas, ſiccitas.* 2

*Tertio omnes colores qui affectionibus externis cōtrahuntur modo immobiles ſint aut difficilè abeant, vt palor, rubor.* 3

*Rurſum paßiones animæ, ſiue ab ortu inſint. vt mētis alienatio, atque ira. ſiue fortuitò, & caſu accidant, modo diu durent.* 4

*Denique qualitates omnes quæ vel ex paßione oriuntur vel efficiunt paßionem.* 5

Quartum verò genus qualitatis eſt Figura, & circa vnumquodque conſtans forma. Amplius autē ad hæc rectitudo, & curuitas, & ſi quid aliud his ſimile eſt: ſecundum enim vnumquodque eorum quale quid dicitur. Triangulum enim, vel quadrangulum eſſe, quale quid dicitur, & rectum, aut curuum, & ſecundum etiam formam vnumquodque quale dicitur.

*Succedit commemoratis à nobis quarta ſpecies qualitatis quæ ab Ariſtotele vocatur figura, & forma cōſiſtens circa hoc aliquid. figu-*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*uam Euclides definit, quæ linea aut lineis conſtat. linea vna conſtat figura circularis cæteræ duabus, pluribúsve. Figuram hoc loco Ariſtoteles non vocat ſpacium interceptum lineis: hoc enim quantitas eſt. Sed figura, qualitas eſt, qua ratione lineæ hoc, aut illo modo collocatæ ſunt, atque angulos faciunt. dicitur enim figura triangularis, verbi gratia, qualitas, quoniam quædam exiſtit forma tribus lineis, tribuſq; angulis effecta, quæ quidem tali figuratione ſuperficiei, in qua eſt, conſideratur, non aliquo colore, aut numero linearum. Circulus quoq; qualitas eſt, & quadrangulum, & denique cæteræ geometricæ figuræ. Linea etiã, ſi vt curua, aut recta accipiatur, qualitas eſt. Quãtitas verò, vt eſt longum ſine lato, & profundo. ſuperficies deinde vt ſuperficies eſt, quantitas eſt, vt plana verò, qualitas cenſetur, & ſub figura ponitur, quæ quarta eſt ſpecies qualitatis.*

*Figura quid ſit.*

*Forma quoque qualitas eſt, & quartã ſpeciem facit. Verùm cùm formã accipiat Ariſtoteles duobus modis, interdũ pro ſubſtãtiali forma, interdũ verò pro ea forma, quæ in ſuperficie rei exiſtit, atque formam ſubſtãtialem cõſequitur, à qua expreſſa eſt: quo ſenſu forma capitur, cùm formoſum quempiam nominamus. Priori intellectu forma ſubſtantia eſt. Poſteriori verò qualitas. Huiuſmodi eſt hominis, aut equi forma, quæ quoniam rem cõſtitutam ex materia, & forma conſequitur, & ab ea ortum habet, dicitur conſiſtere circa hoc aliquid, hoc eſt, indiuiduam ſubſtantiam.*

*Forma cõſiſtens circa hoc aliquid.*

*Quam obrẽ hac ſpecie cõtinentur omnes illæ figuræ quas geometræ conſiderãt, vt triangulum, quadrãgulum, exagonum. item omnes formæ rerum naturalium vt forma hominis equi, & cæterorum.*

*Quænam exiſtant in quarta ſpecie qualitatis.*

*Tertio formæ rerũ arte cõſtantium vt menſæ, turris. Deinde etiã in hac ſpecie ponũtur rectum & curuum & cæteræ figurarũ formæ vt turbinata lenticulata, ſpirata. in eadem enim categoria exiſtunt res & affectiones rerum, affirmationes quoque & negationes atq; etiam priuationes, tametſi res ipſæ in recta ſerie collocentur. affectiones verò referantur ad eas res quarum ſunt affectiones.*

Rarum verò, & ſpiſſum, & aſperum, & leue putabuntur quidẽ qualitatem ſignificare: ſed aliena huiuſmodi putantur eſſe à * diuiſione,

* diſpoſitione.

quæ

quæ circa qualitatem eſt: quandam enim poſitionẽ magis videtur partium vtrunque mõſtrare. Spiſſum enim dicitur, eò quòd partes ſibiipſis propinquæ ſint: Rarum verò, eò quòd diſtent à ſemuicem. & Leue quidem, quòd in rectitudinem aliquo modo partes iaceant: Aſperum verò, quòd hæc quidẽ ſuperet, illa verò ſit inferior. Et fortaſſe alij quoque apparebũt qualitatis modi: ſed qui maximè dicũtur, ferè tot ſunt. Qualitates itaque ſunt, quæ dictæ ſunt.

*Separat Ariſt. ab hoc prædicamẽto quædam quæ ad illud videtur pertinere: ea ſunt, rarũ, ſpiſum, aſperũ leue. Videtur enim qualitates eſſe, quoniã ſecũdum eaſdem videtur dici aliquid quale: atqui qualitates nõ ſunt ſed potius pertinẽt ad prædicamẽtum ſitus. Significant enim partiũ poſitionẽ. Rarum enim dicitur cuius partes ita ſunt ſitæ vt poſsint admittere corpus diuerſi generis: vt ſpongiæ, pumex, lana. Denſum cuius partes ſic ſitæ ſunt vt nõ poſſint admittere corpus aliquod generis diuerſi. vt aurũ, argẽtum, ferrum. Leue cuius partes ſic ſitæ ſunt, vt vna alteram nõ exuperet. aſperum cuius partes ſic ſitæ ſunt, vt vna alterã exuperet. quod ſi ita eſt proculdubio hæc non ſunt qualitates ſed ad ſitus categoriam referuntur, nõ autem ad categoriam relatorum vt Boethius inquit, nam hæc non ſunt ex eorum numero quæ cum alio conferuntur.* (*Quæ reijciat ab iſta categoria.* / *Rarum.* / *Denſum.* / *Leue.*)

*Sed obijciet paulò curioſior has eſſe qualitates, Ariſto. opinione. ille enim in libr. de phiſyca auſcultatione inter qualitates videtur referre, aſperũ, leue, rarum. denſum. ita enim inquit. quẽadmodum corpus cũ capax ſit qualitatũ per ſe ipſum totum ſecũdum eas mutatur. fitque nigrũ ex albo, & album ex nigro, ſic quoniã qualitates ſunt raritas & dẽſitas corpus quoq; inde ſecũdum eas mutatur, & ſpiſitudinem accipiẽs fit aqua, terra autẽ ſi magis denſetur. vt obiectionẽ diluamus, animaduertẽdum eſt quòd raritas & dẽſitas eſt duplex, vna quæ à natura rebus ineſt, altera quæ ab arte, vt cum contũdimus corpora, vt dẽſa efficiamus. naturalis bifariã accipitur. aut enim in eodẽ ſubiecto ineſt, aut in diuerſo, vt quæ in dẽtibus. v.g. exiſtit. ea igitur quæ in eodem ſubiecto raritas aut denſitas natura ineſt, qualitas eſt quoniã ea ſubiectũ dicitur quale & hanc ſignificat Ariſt. loco citato. altera verò ad ſitũ ſpectat & eã nos paulò ſuperiꝰ ſignificauimus.* (*Obiectio* / *Obſeruatio.* / *Duplex raritas & denſitas.* / *Soluitur*)



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Fortaſſe cur adiecerit Ariſto.*

*Quamobrem Ariſto. adiecerit & fortaſſe alij quoque apparebunt qualitatis modi ſed qui maximè dicũtur fere tot erunt. explicatum à nobis eſt initio diſputationis de qualitate, quo loco conſtituimus numerum formarum, quæ ſub qualitate compræhenſæ ſunt, ſuperuacaneum ergo erit, de eadem re hoc loco quidpiam dicere.*

Qualia verò ſunt, quæ ſecundum has denominatiuè dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. In plurimis ſiquidem, & ferè in omnibus denominatiuè dicuntur: vt à candore candidus, & à grammatica grãmaticus, & à iuſtitia iuſtus: ſimiliter & in aliis. In aliquibus verò, eò quòd non ſunt poſita qualitati nomina, non contingit ab eis denominatiuè dici: vt curſor, aut pugillator, qui ſecundum naturalem dicuntur potentiam, à nulla qualitate denominatiuè dicuntur: non enim poſita ſunt nomina potentiis, ſecundum quas iſti quales dicuntur, ſicuti diſciplinis, ſecundum quas pugiles, vel pallæſtrici ſecũdum diſpoſitionem dicuntur. Pugillatoria enim, & palęſtrica diſciplina dicitur, quales verò ab his denominatiuè hi, qui ab eis afficiuntur, dicuntur. Aliquando autem & poſito nomine non dicitur denominatiuè id, quod ſecundum eam quale dicitur: vt, à virtute ſtudioſus: eo enim quòd virtutem habeat, ſtudioſus dicitur, ſed non denominatiuè à virtute. Non autem in pluribus hoc tale eſt. Qualia ergo dicuntur, quæ denominatiuè à dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis.

*Cur de quali diſſerat philoſophus.*

*Propoſuit Ariſto. finitionem qualitatis inſuper quatuor eius formas recenſuit atque explicuit, nunc qualia ipſa deſcribit nobis. huius rei ea ratio eſt vt intelligamus exactius deſcriptionẽ qualitatis. nam in ea qualia collocantur cum dicimus: qualitas eſt ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur: qualia vero quæ ſecundum has denominatiue dicũtur, vel quomodolibet aliter ab his. definit igitur qualia hoc modo qualia ſunt &c. huius deſcriptionis duæ ſunt partes, vna eſt qualia ſunt, quæ ſecundum has ipſas qualitates quas expoſuimus paulò ſuperius, dicuntur denominatiue, vt grammaticus, fortis, candidus, Iuſtus, hæc enim denominatiue dicuntur. à grammatica, fortitudine, candore, iuſtitia. Sumunt enim ab his appellationem, quibus ſolo caſu hoc eſt fine dictionis differunt.*

*Duas partes habet finitio.*

1. *Altera pars complectitur quædam alia qualium genera quæ vo-*
2 *ce tantum vel ſignificatione à qualitatibus dicuntur. non autem vo-*

ce &

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ce & ſignificatione. Studioſus enim quale quoddam eſt, non ſumit autem appellationem ab ſtudio ſed à virtute, item quæ ponuntur in ſecunda ſpecie qualitatis, pugilator inquam & curſor, non habent qualitates à quibus ſumant appellationem. tametſi qualia ſint, quam quàm quæ ſunt huiuſmodi pauca quidem ſunt ſi cum alijs conferantur. hinc conſtat iure optimo in antepredicamento denominatiua finiſſe Ariſt. alioqui nõ poſſemus intelligere quod refert in præſentia qualia eſſe quæ ſecundum qualitates denominatiue dicuntur.* *Studioſus.* *Que ſunt in ſecunda ſpecie qualitatis.*

Ineſt autem & contrarietas ſecundum qualitatem: vt iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea, quę ſecundum eas qualia dicuntur: vt iniuſtum iuſto, & album nigro. Non in omnibus autem hoc eſt: rubro enim, & pallido, aut huiuſmodi coloribus, nihil contrarium eſt qualitatibus exiſtentibus. Amplius: Si contrariorum alterum fuerit qualitas, & reliquum erit qualitas: hoc palàm eſt proponenti ex ſingulis alia prædicamenta. Nam ſi eſt iuſtitia iniuſtitiæ contrarium, qualitas autem eſt iuſtitia, qualitas igitur & iniuſtitia: nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur iuſtitiæ, neque ad Aliquid, neque Vbi, nec omninò aliquid huiuſmodi niſi quale. Sic autem & in aliis, quæ ſecundum quale ſunt contraria.

*Inueſtigat iam Ariſt. propriũ qualitatis quo illam agnoſcamus, quando quidem finitionem qualitas non habet, prius tamen, quod fecit etiam in cæteris categorijs quæ ſunt à nobis explanatæ, communia refert & quæ à quibuſdam propria putabantur. Primum ergo inquit qualitati ineſſe contrarium. vna enim qualitas, alteri contraria eſt. exemplo rem probat. nam iuſtitia iniuſtitiæ. candor nigrori, contrarius eſt. neque id tantum qualitati ineſt, ſed etiam quali. nam iuſtum iniuſto, candidum nigro contrarium eſt.* *Exemplo rẽ probat*

*Non eſt hoc proprium qualitatis quoniam non omni qualitati ineſt. nam medijs coloribus vt pallido, rubeo, viridi atque alijs nihil eſt contrarium item etiam figuris.* *Non eſt proprium qualitatis.*

*Admonet tamen Ariſt. quod contrarium qualitatis eſt qualitas. hoc probat, quoniam nihil poteſt illi aſſignari contrarium quod pertineat ad aliam categoriam ſed dumtaxat quod qualitas ſit hoc inductione monſtrari poteſt. nam iuſtitiæ ſola iniuſtitia contraria eſt* *Cõtrariũ qualitatis; qualitas eſt.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Cur non eſt vſus hoc argumento.*

*& candori atror, at hæc omnia ad qualitatem pertinent. idem probari poteſt ex definitione contrariorum. cōtraria enim ſunt quæ ſub eodem genere poſita mutuo ſe expellunt. Ariſt. autore in cap. de oppoſitis. Verum hoc argumento vti noluit Ariſt. quoniam nondum apperuerat, quid eſſent contraria.*

*Iniuſtitia.*

*Iniuſtitia verò (vt id obiter admoneam) quamuis interdum iuſtitiæ priuantiam ſignificet hoc loco habitum dicit cōtrarium iuſtitiæ. vtimur tamen huiuſmodi nomine penuria vocabuli, quod ſæpe numero facit Ariſto. præſertim verò. ij. & .iij. Ethi. cum vitia atque virtutes explanat.*

Suſcipiunt autem qualia magis & minus. Album enim magis & minus album altero albo dicitur, & iuſtum alterum altero magis vel minus. Sed & ipſa cremētum ſuſcipiunt: cùm candidum nanque ſit, contingit amplius candidum fieri, non tamen omnia, ſed plura.

*Magis & minus dicuntur qualia.*

*Non eſt hoc proprium.*

*Hoc eſt ſecundum commune quod ſuperiori adiungit Ariſt. quoniam mutuo cohærent illa duo ſuſcipere magis & minus, atque habere contrarium, rationem reddemus paulo inferius. rem exemplo probat Ariſt. album enim, inquit, magis album altero dicitur. atque etiam minus neq; ſolum vnum altero magis aut minus tale dicitur. ſed idem ſe ipſo diuerſis temporibus. hoc tamen proprium nō eſt, quoniam non ineſt omni qualitati. ſiquidem (vt cætera taceamus) figura neque magis neque minus dicitur.*

*Iuſtitia.*

*Exiſtit tamen hoc loco quæſtio, quam Ariſt. his verbis tractat.*

Iuſtitia nanque ſi dicatur magis & minus iuſtitia, poteſt quilibet ambigere, ſimiliter autem & in aliis diſpoſitionibus. Quidam enim dubitant de talibus: iuſtitiam nanque iuſtitia nō multum aiunt magis & minus dici, nec ſanitatem ſanitate: minus autem habere alterum altero ſanitatem aiunt, & iuſtitiam alterum minus altero habere dicitur: ſic autem & grammaticam, & alias diſpoſitiones: quare ea, quæ ſecundum eas dicuntur, indubitanter recipiūt magis & minus: grāmaticior enim alter altero dicitur: & iuſtior, & ſanior: ſic autem & in aliis. Triangulum verò, & quadrangulum non videntur magis & minus ſuſcipere, neque aliqua aliarum figurarum. Quæcunque enim definitionē trianguli recipiunt, & circuli, omnia ſimiliter trianguli, vel circuli ſunt. Eorum verò quæ non recipiunt, nihil magis alterum altero dicetur:

nihil

(c) 2007 Ministerio de Cultura

nihil enim quadratum magis, quàm parte altera longius, circulus eſt: nullum enim ipſorum recipit circuli rationem. Simpliciter autem ſi vtraque non recipiunt propoſiti rationem, non dicetur alterum altero magis. Non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus. Horum itaque, quæ prædicta ſunt, nihil eſt proprium qualitatis.

*Vtrum qualitas an quale potius magis & minus ſuſcipiat. Iſtam verò quæſtionem vt exactius abſoluamus de intenſione & remiſsione pauca mihi dicenda ſunt, quæ non ſolum ad explicandam quæſtionem propoſitam proderunt ſed etiam ad intelligendam ſententiam Ariſt. multis locis in quibus, intẽſionis & remiſsionis mẽtionẽ facit.* *Vtrũ qualitas, an quale dicatur magis & minus.*

*In primis verò accipiendum nobis eſt idem ferè eſſe apud Ariſto. ſuſcipere magis & minus dici magis & minus, & intendi, atque remitti. Illud tamen intereſt quòd ſuſcipere magis & minus & dici magis & minus, his accommodantur, quæ qualia ſunt, intenduntur verò & remittuntur qualitates: vnum enim album magis altero album, aut minus dicitur, candor verò vnus magis intenſus eſt aut minus altero, ſumpta eſt autem metaphora à fidibus. nam vt illæ ſi intentæ admodum ſint vehementem ſonum reddunt, minus autem vehementem ſi remiſſæ ſint, ita quoque qualitatem minus tenaciter inhærentem ſubiecto intentam dicimus leuiter verò impræſſam, remiſſam vocamus.* *Suſcipere magis & min⁹, & dici magis & min⁹ idẽ ſunt.* *Intentio vnde ſumatur.*

*Tribus autem rebus opus eſt ad hoc quòd aliqua intẽſionem ſuſcipiant aut remiſsionem, primum quidem opus eſt, vt contraria ſint, deinde vt ſubiecto inhæreant, poſtremò vt in ſubiecto permiſceãtur. atque ideo album vnum, altero magis minúſve album dicitur: quoniam albo tria illa inſunt quæ diximus. hæc etiã ratio eſt cur Ariſto. vbi dixit contraria eſſe aliqua ſubiungit, magis & minus dici, quæ verò non habent cõtraria, ait non dici magis neque minus. cum enim accidentia quæ contrarium habent, non poſsint omnino ſecũdum naturam pura eſſe atque abiuncta prorſus à contrarijs ſed permixta inuicem ſint atque confuſa interſe, illa magis talia vocãtur quæ minus ſunt permixta contrarijs, & tenatius hærent ſubiecto. hoc enim Ariſto. inſinuat, lib. iij. Topic. cum inquit, quæ ſunt minus permixta* *Tribus rebus opus eſt vt qdpiam dicatur magis aut minus.* *Magis talia.*

contrarijs magis talia dicuntur. ex his quæ diximus colligitur corolarium quod nulla ſubſtantia ſuſcipit magis aut minus. quod Ariſt. refert. cap. de ſubſtãtia & Porphirius in ſermone de differentia. ratio eſt quoniam neque ſubſtantia contrarium habet, vt conſtat, neq; eſt in ſubiecto vt monſtrat philoſophus, in capite de ſubſtantia, & tandem permiſceri cuipiam alteri non poteſt.

Nulla ſubſtãtia dicitũ magis aut minus.

Poſtremò nulla ſubſtantia magis minúſve dicitur. quia ſubſtantiæ ratio perpetuo vna eſt atque eadem. ſunt enim ſpecies ſicut numeri, vt ait Ariſto. in prima philoſophia, ergo non dicitur magis aut minus. album autem aut nigrum magis aut minus recte dicitur: quia eius ratio non eſt perpetuo eadem, cum candor non ſemper eodem modo in ſubiecto exiſtat. Inſtabit aliquis non ne vnus homo altero magis minúſve vtitur ratione? ergo magis eſt rationalis. eſt autem ſubſtantia rationale, ergo ſubſtantia magis & minus dicitur. ſoluitur inſtantia ſi fateamur vnum altero magis minúſve vti ratione. nõ oportet tamen inde colligere vnum hominem eſſe altero magis aut minus rationalem. nam vſus rationis non omnino ex ſubſtantia ortum habet ſed etiam ex accidenti: nempe ex temperamento corporis quod eſt ad vſum rationis neceſſarium.

Obiectio.

Diluitur.

Secũdum corolarium.

Sequitur ſecundo quòd accidentia ſuſcipiunt magis & minus. hoc inde conſtat, quoniam contraria interdum ſunt. & in ſubiecto hærent, & permiſcentur. huiuſmodi ſunt calidum, frigidum, cãdidum, atrum. Sed cum non omnia accidentia habeant contrarium, ſed pauca admodum, non omnia quidem ſed pauca ſuſcipiunt intenſionem & remiſſionem. nam neque quantitas neque vere relata neque qualitates nonnullæ magis & minus dicuntur. Reliqua eſt iam ea quæſtio quam Ariſt. attingit, vtrum ſuſcipere magis & minus inſit qualitati ipſi, an potius ſubiecto qualitatis. de hac re anceps inter veteres philoſophos controuerſia fuit, vt ſcribit Porphirius enarrans hunc locum Ariſt. dixerunt quidam eas diſpoſitiones vel habitus ſuſcipere magis aut minus quæ exiſtunt in corpore, cæteras verò minime. ſtoici cenſuerunt medias qualitates atque etiam ſcientias omnes magis & minus ſuſcipere. Similiter etiam ſubiecta ipſarum qualitatum, &

Accidentia ſuſcipiunt magis & minus.

Quæſtio. Vtrum dicatur magis & minus qualitas an quale.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ſcientiarum. fuerunt etiam qui dicerent nullum habitum neque qualitatem vllam magis aut minus dici, ſed dũtaxat ſubiecta in quibus qualitates exiſtunt, & in hac ſentẽtia videtur eſſe Ariſt. cæteraſq; contemnere. ſed mihi videtur adhibita diſtinctione ambiguitatem tollendam eſſe. Qualitates enim quæ contrarium habent & in ſubiecto permixtæ ſunt, intenduntur quidẽ & remittuntur. nam vna qualitas magis aut minus quàm altera ſubiecto inhæret, & minus aut magis cõtrariæ qualitati permixta eſt. quare qualitates intenſſæ & remiſſæ dicuntur vt fides, ſeu chordæ in cythara, atqui ipſæ non ſuſcipiunt magis aut minus, neque magis aut minus dicũtur. ſed ſubiecta in quibus exiſtunt ipſæ qualitates. Vnus enim candor neq; magis neque minus altero cãdor dicitur. at homo vnus altero magis aut minus cãdidus, appellatur, quoniam habet qualitatem ipſam, aut leuius aut tenacius hærentem, & magis minúsve à contraria qualitate ſeparatum atque abiunctum. Iſto ergo modo planè cõſtat Ariſt. ſententia qui inquit, iuſtitiam non dici magis aut minus, iuſtum verò optimè, atque in cæteris ſimili modo.*

*Triplex opinio de hac quæſtione.*

*Adhibenda diſtinctio.*

Similia verò, & diſsimilia ſecundum ſolas dicũtur qualitates: Simile enim, & diſsimile alterum alteri non eſt ſecundum aliud, niſi ſecundum id, quod quale eſt. Quare proprium erit Qualitatis, ſecundum eam ſimile, vel diſsimile dici.

*Iam tradit nobis Ariſto. maximè proprium qualitatis quod & omni & ſoli ineſt qualitati.*

*Illud eſt, quòd ſecundum qualitatem res dicũtur ſimiles aut diſsimiles. omnia enim quæ vel ſimilia vocãtur vel diſsimilia ratione qualitatis talia dicuntur, hoc inductione monſtrari nullo negocio poterit, ſi rem velimus conſiderare. Sunt autem ſimilia illa quæ eadẽ qualitate infecta ſunt. nam vt ſcribit Ariſto. lib. v. de prima philoſophia ſicut vnitas in ſubſtantia facit idem in quantitate equale, ita quoque in qualitate facit ſimile.*

*Maximè proprium qualitatis.*

*Similia.*

At verò non decet conturbari, ne quis dicat de Qualitate propoſitionem facientes, multa eorum, quæ ſunt Ad aliquid, interpoſuiſſe. Habitus enim diſpoſitiones eorum, quæ ad aliquid ſunt, eſſe dicebamus. Penè enim in omnibus talibus genera ad aliquid dicũtur, nihil autem



(c) 2007 Ministerio de Cultura

eorum, quæ ſunt ſingularia: nam cùm diſciplina genus ſit, hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur: alicuius enim diſciplina dicitur. Eorum verò quæ ſingularia ſunt, nihil ipſum quod eſt alterius dicitur: vt Grammatica non dicitur alicuius grãmatica: nec Muſica alicuius muſica: ſed fortè ſecundum genus, & hæ ad aliquid dicuntur: vt Grammatica dicitur alicuius diſciplina, non alicuius grammatica: & Muſica alicuius diſciplina, non alicuius muſica. Quapropter quæ ſingularia quidem ſunt, nõ ſunt ad aliquid. Dicimur autem ſecũdum ſingula quales: hæc enim & habemus. Scientes enim dicimur, eò quòd habemus ſingularum ſcientiarum aliquas, quare hæ erunt etiam qualitates, quæ ſingulares ſunt, ſecundum quas aliquando & quales dicimur: hæ autem non ſunt eorum, quæ ſunt ad aliquid.

*Dubitationẽ ſoluit Ariſt.*

*Eadẽ ratio nõ poteſt ĩ duabus exiſtere categorijs.*

*Vbi aſsignauit maximè propriũ qualitatis Ariſt. prolepſim adducit. atque illam diſſoluit. ea eſt quo pacto in præſenti ſermone inter qualitates referat habitũ atque diſpoſitionẽ quæ in capite de his quæ cum alio cõferuntur, inter relata conumerauit. dubitãdi ratio ea eſt, quoniam eadem res non poteſt collocari in duabus categorijs. alioqui magna rerum perturbatio cõſequetur ſi miſceantur prædicamenta. dubitationem aufert de medio Ariſt. cõcedens diſpoſitionem atque habitum collocari ſimul in categoria relatorum atque etiam in categoria qualitatis, diuerſa tamen ratione. nam ſecundũ genus exiſtunt in categoria relatorum, ſecundum ſpecies vero, in qualitatis categoria, ratio eſt quoniam genus ad alterum eſt, ſpecies verò nõ ſunt relata, ſed potius qualitates. habitus enim qua habitus eſt, inquit Ariſto, alicuius dicitur habitus. diſpoſitio etiã alicuius diſpoſitio. at verò grãmatica quæ eſt ſpecies quædam habitus non dicitur alicuius grammatica, neque muſica alicuius muſica licet dicatur alicuius ſcientia. quare ſpecies habitus & diſpoſitionis non ſunt relata. quòd autẽ qualitates ſint probat Ariſto. à definitione. illis enim quales dicimur. à grammatica grammatici. à muſica muſici. hoc rurſum probat quoniam illis denominamur quæ habemus & quæ nobis inſunt, abemus autem peculiares quoſdam habitus, vt grãmatice habitum, muſicæ, aut ſimiles. hos enim comparamus vſu atque exercitatione, ergo his denominamur, ergo ſunt qualitates, cum autem non eadem ratione*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*tione res ponatur in duobus prædicamẽtis nulla cõſequitur perturbatio aut miſcella categoriarũ. hoc euenit in præſentia, quãdoquidẽ genus eſt in categoria relatorũ. formæ atq; ſpecies eiuſdẽ in qualitate.*

*Altero etiam modo diluit Ariſt. obiectionem cum ait.*

Amplius: Si cõtingat idem ipſum, & quale, & ad aliquid eſſe: nihil eſt inconueniens in vtriſque hoc generibus enumerari.

*Fatetur enim idem exiſtere in duabus categorijs, non tamen ratione eadem ſed diuerſa nam quatenus cum alio confertur exiſtit in categoria relatorum, quatenus dicimur quales habitu ponitur in qualitatis categoria quod fieri nihil prohibet. nam pater, qua pater eſt, in categoria relatorum eſt, qua homo in ſubſtantiæ categoria. idem quoque contingit in multis alijs.* *Nihil prohibet eandem rem in duab⁹ exiſtere categorijs*

*Vocat autem in præſentia Ariſt. ſingularia quæ minus cõmunia ſunt quod facit etiam multis alijs locis. hæc tamen ratio diluẽdi quæſtionem propoſitam mihi probatur maximè, nam priorem rationem non arbitror veram eſſe. Primum quoniam ſi ſolum qualitates dicẽdæ eſſent quæ inſunt in ſubiecto, ſolæ indiuiduæ qualitates dicerentur: illæ enim proprie exiſtunt in ſubiecto, communes verò exiſtunt in ſingulis, atque indiuiduis.* *Singularia quæ nã vocet.*

*Deinde, ſi genus exiſtit in vna categoria, ſpecies in altera, quo pacto genus de ſpecie dicetur in quæſtione dicente quid eſt: quod eſt generis proprium.* *Secunda ratio.*

*Tertio quomodo genus, atque ſpecies rectè collocabũtur in eadem categoria, ſi in diuerſis exiſtunt? Quare prior illa forma diluẽdi quæſtionem propoſitam probari non debet, quam fortaſſe attulit ex ſententia eorum, qui habitum & diſpoſitionem relata putãt, à qua ſententia Ariſt. procul abeſt.* *Tertia ratio.* *Quo ſenſu ſit accipienda Ariſtotelis ſententia.*

## ¶ Caput. ix. de Actione, & Paſſione.

Recipit autem Agere, & Pati, & contrarietatẽ, & magis, & minus. Calefacere enim & Frigefare contraria ſunt: & Calefieri, & Frigefieri: & Delectari & Contriſtari: quare ſuſcipiunt contrarietatem & magis & minus: eſt enim calefacere & magis, & minus:



(c) 2007 Ministerio de Cultura

& calefieri magis,& minus: & triſtari magis: & minus. Sucipiunt igitur magis,& minus,agere,& pati: & de his igitur hæc dicta ſint. Dictũ eſt autem & de Situm eſſe,in iis quæ ſunt ad aliquid,quod denominatiuè à poſitionibus dicitur. De reliquis verò,id eſt Quando,& Vbi,& Habere, propterea ꝙ manifeſta ſunt, nihil de his aliud dicitur, quàm quę in principio dicta ſunt:quòd Habere quidem ſignificat calceatum eſſe,armatum eſſe: Vbi verò,vt in Lycyo,in foro: Quando verò, vt heri: & alia quæcunque de his dicta ſunt. Igitur de omnibus generibus, quæ propoſuimus,ſufficiant quæ dicta ſunt.

*Cur prætermiſſerit Ariſtoteles aliquot categorias. Porphirius.*

*VT Ariſt. ſententiam hoc loco intelligamus,pauca nobis dicenda ſunt. In primis verò quæſtio eſt,quamobrem cùm initio Ariſt. pollicitus fuerit ſe diſputaturum eſſe de decem generibus, ſex poſtrema genera prætermiſſerit. Porphirius reſpondet eã eſſe cauſam,quòd hæc tractatio decem generum introductoria ſit: quare oportuit, vt eadem eſſet plana, atque aperta, ne difficultas lectoris teneri ingenium obrueret. Quare cùm de ſubſtantia,quantitate,qualitate,relatis,actione & paßione aliqua dici poſſent, quæ ad dialecticum pertinerent,illa eſt diligentius Ariſt. perſequutus,atque explicuit dialectico,reliqua miſſa fecit,quia de eiſdem pauca nouit dialecticus: explanationem verò exactiorẽ in libros de natura coniecit. Satis enim putauit ſingula iſta genera vel digito indicare, quod & fecit initio. Quò ſpectans inquit, De his igitur hæc dicta ſint: dictum eſt autem & de Situm eſſe in his, quæ ſunt ad aliquid, quòd denominatiuè à poſitionibus dicitur: de reliquis verò,id eſt, Quando, & Vbi, & Habere, propterea quòd manifeſta ſunt, nihil de his aliud dicitur, quàm quæ in principio dicta ſunt &c. Agit verò copioſius de Agere, & Pati in libris de ortu, atque interitu. de Vbi, & quãdo iiij. & v. Phiſico. atque etiam v. Metaphyſico. Hæ ſex categoriæ, vt alio loco à nobis ſcriptum eſt, hoc modo efficiuntur: ex ſubſtantia, & quanto, Vbi & Quando. ex ſubſtantia, inquam, & loco, Vbi. ex ſubſtantia, & tempore. Quando. ex ſubſtãtia, & qualitate Agere, & Pati. ex ſubſtantia, atque habitudine, Situm eſſe. ex ſubſtantia in ſe obuoluta Habere. Quare ſi præſtantiæ ratio habenda eſſet, poſt qualitatẽ collocari debuit Habere. deinde Vbi, & Quãdo. tertio loco Situm eſſe.*

*Quo loco de Agere, & Pati diſſerat.*

*Ortꝰ ſex poſtremarũ categoriarum.*

*eſſe. poſtremò Agere, & Pati: ſed quoniam de quatuor alijs generibus nihil dicturus erat, ſtatim poſt qualitatē poſuit Agere, & Pati.*

*Ordo ſex aliarū categoriarū*

*De titulo.*

*Titulus huius capitis ille eſt, De Agere, & Pati: non, vt quidam interpretantur, de actione, & paſſione.*

*Ratio inſcriptionis.*

*Atque hoc factum eſt cauſa vitandi ambiguitatem: Cùm enim actio bifariam dicatur, eſt enim actio via ad opus, vt ædificatio: eſt etiam actio opus ipſum: vt ſignificaret Ariſto. ſe de priori actionis genere dicere, non de poſteriori, inquit, Agere, & Pati, non Actio, & Paſſio: Agere enim & Pati motum apertè ſignificāt. Refert autem Ariſto. Duo, quæ communia ſunt huius categoriæ. Vnum eſt, quòd hæc habent cōtrarium. Alterum eſt, quòd ſuſcipiūt magis, & minus. Vtrunque exemplo conſtat.*

*Cur agere, & pati contrarium habeant.*

*Nam calefacere, & frigefacere cōtraria ſunt, calefieri item, & frigefieri: eadem quoque magis atque minus dicūtur. Huius rei ea ratio eſt, quia agere, & pati cōtingit ſecundum qualitates: qualitati verò contrariū aliquid ineſt: atq; illa magis, & minus ſuſcipit.*

*Nō omni ineſt.*

*Verùm hoc nō omnibus ineſt, quæ agūt, & paciuntur, quēadmodum neq; omni qualitati: rubefactio enim nihil habet cōtrariū. Illud tamē conſiderare oportet, cùm dicimus Agere, & Pati cōtraria eſſe, nō ſignificari à nobis actionē paſſioni eſſe cōtrariam.*

*Quomodo agere, & pati cōtrariū habeāt.*

*Ratio eſt, quoniam contraria ſunt ſub eodē genere, agere autē & pati nō ſunt ſub eodem genere, ſed potius ſunt genera ſumma. Eſt autē actio actioni, & paſſio paſſioni contraria, vt illis exemplis conſtat, quibus vſi ſumus.*

*Cōtrariū ex terminis.*

*Deprehēditur autem pugnantia, aut contrarietas ex terminis: illæ enim actiones cōtrariæ ſunt, quarum termini ſunt cōtrarij, huiuſmodi ſunt frigefactio, & calefactio, atque aliæ id genus actiones, atq; paſſiones.*

*Obiectio.*

*Sed contra ſententiā Ariſt. qui agere, & Pati diuerſa genera putat, ſic obijcio: vnum illa ſunt, non ergo duo, vt refert philoſophus:*

*Syllogiſmus.*

*aſſumptum probo, quia quæ ſunt eadē vni tertio, ſunt eadem inter ſe, Agere, & Pati ſunt eadem motui, ergo inter ſe ſunt eadem. Conſequentia euidens eſt, & vtraq; pars antecedētis vera.*

*Paſſio, actio, motusquo pacto differant.*

*At qui iſta obiectio facilè ſolui poteſt, aſſignato diſcrimine inter actionē, paſſionem, & motum: hæc tria ſubiecto, atq; re ipſa idem ſunt: vnus enim motus,*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

actio, & paſſio dicitur, ratione tamen diſtinguntur, ſicut doctrina, & diſciplina, vnus & idem motus ſunt, ſed ratione differunt: motus enim dicitur quatenus eſt via ad aliud. Actio, vocatur motus, quatenus ab agente progreditur. paſſio vero, motus eſt, vt ſuſcipitur in eo, quod patitur. Ergo vt re eadem ſunt cum motu Actio, & Paſſio, ita ſunt inter ſe eadem re, ſed ratione vnũ differt ab altero, atq; à tertio vtrunque. Rurſum obijciet aliquis, Agere, & Pati collocãtur in prædicamẽto eorum, quæ ſunt ad aliquid, ergo nõ efficiunt peculiare prædicamentũ. Nota eſt conſequentia, & antecedens probo: quoniã hæc ſunt relata. Nam quod agit, in eo quod patitur agit, & quod patitur, ab agente patitur. Huiuſmodi ratio petit, vtrum ſex poſtremæ categoriæ ſint relatorũ: quod eſt à nobis in præſentia paucis explicãdum. Initio ergo ita definimus, ſex iſtas categorias non eſſe relatorũ per ſe, atq; ſecũdum naturam, ſed abſolutorũ potius. Hanc poſitionem vt ſtabiliamus, ſciẽdum nobis eſt, quod motus iſte, quem diximus re eſſe eũdem cum actione, & paſſione, accidens eſt, vt conſtat, atque in ſubiecto exiſtit, vti cætera accidentia: eius ſubiectũ eſt res, quæ patitur, non quæ agit, vt Ariſt. demonſtrat quinto Phyſico. Idem cõſtat ex motus definitione. Nam motus, eſt actus entis in potentia ſecũdum quod eſt in potẽtia, ſed quod agit, non eſt in potentia, ſed potius quod patitur, ergo in eodem exiſtit motus. omnis enim motus eſt propter indigentiã, mouemur enim vt cõparemus quod nobis deeſt, ergo motus eſt in paciente, quia quod patitur, mouetur, vt pareret quod deeſt. His vtcunque explanatis, conſtat ſex poſtrema genera non eſſe relata, atque id ex notione ſingulorum.

*Actio. Paſſio. Soluitur obiectio. Secunda obiectio, Vtrũ ſex poſtremæ categoriæ ſint relatorum. In quo exiſtat mot⁹ tãquã in ſubiecto. In re quæ patitur. Hæc non ſunt relata.*

Agere enim, natura ſua eſt formã producere, pati, formam ſuſcipere. Vtriuſque duplex pars eſt. Quod enim agit, aut in ſe agit, vt animus, cùm ſe agnoſcit, aut in aliud, vt ignis in lignum, aut manum. Paſſio etiam duplex eſt. Vna, qua res perficitur, vt cùm ſentimus. Altera, qua res corrumpitur, vt cùm lignum aduritur.

*Agere. Pati. Duplex actio. Duplex paſſio.*

Quãdo ſignificat eſſe in tempore: cuius tres partes facimus, eſſe, fuiſſe, fore.

*Quando.*

Vbi, eſt in loco eſſe: cuius ſex ſunt ſpecies, Supra, Infra, Dextrũ, Siniſtrũ,

*Vbi.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

ſiniſtrum, Ante, Retro. Nam cum locus, ſit extremũ eius rei, quam ambit, nempe corporis, & omne corpus tribus dimenſionibus cõſtet, Longo, inquam, lato, & profundo, quarum quælibet duos fines habet, habet omne corpus ſex terminos, & totidem ſunt ſpecies Vbi.

Sex loci differentiæ.

Situm eſſe, eſt ſeruare poſitionem: cuius tres tãtùm ſpecies ſunt. Aut enim totum corpus iacet, & accubat. aut omnino erectum eſt, & ſtat. aut partim iacet, partim erectum eſt, & ſedet.

Sitũ eſſe. Tres differentiæ.

Habere, eſt amictus ſubſtantiæ, vt veſtitum eſſe, calceatum eſſe. Hæc autem omnia, vt planè conſtat, relata non ſunt, ſed abſoluta potius: quare non poſſunt in categorijs relatorum collocari, ſed neceſſarium fuit alias ſex categorias facere, in quibus collocarentur. Sunt tamen iſtorum aliquot, quæ commodè explicari non poſſunt niſi ad alterum: atque ideo vulgò relata ſecundum dici vocãtur, quæ Ariſt. appellat per accidens.

Habere.

Relata ex accidenti.

## ¶ Argumentum capitis de oppoſitis.

FEcit Ariſt. mentionem frequẽtem oppoſitorum, explanans categorias. In præſentia ipſorum oppoſitorũ naturam, atq; partes aperit. In his explicãdis hunc modum ſeruat. Initio finit oppoſita: deinde illa diuidit in quatuor partes: tertio loco ea inter ſe cõparat, atque docet qua ratione inter ſe conueniant, atque inuicem differant. Sex autem oppoſitorum comparationes facit: ducit enim numerum oppoſitorum per numerum vno minorem, effecti numeri medium capit, & tot modis oppoſita cõparat: ad calcem diſputationis longiori oratione de contrarijs diſſerit.

Ratio explanandi oppoſita.

## ¶ Caput de oppoſitis.

De oppoſitis autem, quoties ſolent opponi, dicendum eſt.

DIſſeruit Ariſt. in categorijs de decẽ ſupremis generibus, & ſerie prædicatorum, quam prædicamentum vocat: nunc voces quaſdam explanat, quibus vſus eſt in categorijs. Hanc ipſam tractatio-



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Poſtprædicamentũ.* *nem appellant poſtprædicamenta, quòd explicationem prædicamentorum conſequatur. Sex autem ſunt voces, quas aperit in poſtprædicamentis: ſunt illæ, Oppoſita, Simul, Prius, Poſterius, Motus, Habere: quarum cognitionem licet non exactam, aliquam tamen habet vulgus diſciplinarum ignarum: non ſunt enim voces iſtæ artis propriæ, ſed publicæ potius. Oppoſitorum verò Ariſto. mentionem facit, diſſerens de quantitate, cùm ait, Magnum & paruum non opponi, vt contraria: de cæteris dicemus ſuis locis.*

*Quas voces explanet abſolutis categorijs.*

*Oppoſita verò (vt id obiter admoneam) non definit Ariſt. communi aliqua finitione, ea fortaſſe ratione, quòd ſatis ſit ſingulas partes agnoſcere, vt totum cognoſcamus. Poſſunt tamen hoc pacto vniuerſa illa explicari: Oppoſita ſunt, quorum vnum vni repugnat certa lege: vnum vni dictum eſt, vt pugnantia ab oppoſitis diſtingamus: nã pugnantia ſubſtantijs etiam ineſt, pugnant enim inter ſe ipſæ ſubſtantiæ, atq; ipſarũ differẽtiæ, at non vere dicũtur opponi. Socrates enim verbi gratia, repugnat ſingulis hominibus certa lege. Dictũ eſt etiã, quòd ineſt dũtaxat quatuor formis cõtrariorum, ſeu oppoſitorum.*

Dicitur enim alterũ alteri opponi quadrupliciter: aut vt ad aliquid: aut vt contraria: aut vt habitus, & priuatio: aut vt affirmatio, & negatio. Opponitur autem vnumquodque iſtorũ (vt figuratim dicam) tanquàm ad aliquid quidem, vt duplum dimidio: tanquàm contraria, vt malum bono: tanquàm autem ſecundum habitum & priuationem, vt cæcitas, & viſio: tãquàm verò affirmatio, & negatio, vt ſedet, nõ ſedet.

*Quatuor formæ oppoſitorũ.* *Iam refert Ariſt. formas, aut ſpecies oppoſitorum. Sunt illæ quatuor, quæ his nominibus dicũtur à Cicerone, Relata, aduerſa, contradicentia, priuantia, vulgò relatiuè oppoſita, contrariè oppoſita, cõtradictoriè appoſita, priuatiuè oppoſita. Horum caput contraria vocat Cicero. Vulgò oppoſita Græcè ἀντικημένα. Numerus contrariorum, aut oppoſitorum hac ratione colligitur: quæ opponũtur, aut res ſunt, aut affirmationes, & negationes: ſi res ſint, aut habitudinem dicũt, vt duplum dimidium, pater, & filius, & ſunt relata: aut nullam dicunt habitudinem. Hæc autem duplici genere continentur: aut enim ex ſeinuicem fiunt, & vocantur aduerſa, vt album, nigrum, calidũ, frigidum,*

*Numer⁹ colligit.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*frigidum, aut non ita ſiunt, & vocantur priuantia, vt cæcitas, viſio, cæcum eſſe, & videre. Si opponātur, vt affirmatio, atque negatio, cōtradicentia vocātur, vt ſedet, non ſedet. Quare cùm tantùm quatuor modis oppoſitio contingat, quatuor erunt dūtaxat genera oppoſitorū iſtorum. Quæ opponūtur tanquàm affirmatio, & negatio, maxime quidē oppoſita ſunt: nam cæteræ formæ oppoſitorū ad illa referūtur.* *Quæ maximè opponātur.*

*In collocādis verò, & tractandis quatuor iſtis formis contrariorum Ariſt. non habuit rationem maioris pugnātiæ, aliâs principem locum tribuiſſet contradicentibus: ſed notiora nobis, & vulgata magis prius collocauit, atq; explicuit, vt eorum explanatio cæteris adiumento eſſe poſſet.* *Qua ratione iſtæ formæ collocentur.*

*Boëtius explicans hunc locum, & Philoponus exponens. cap. ij. lib. i. de poſteriori analyſi, Oppoſita inquit diuidi in quatuor iſtas formas, tāquàm genus in ſpecies. Quod inde cōſtare videtur, quòd ipſum genus, nēpe oppoſitum, ad categoriam pertinere videtur eorum, quæ cum alijs conferuntur: nam oppoſitum alicui oppoſitum eſt, & contrarium, quà contrarium eſt. Prætereà etiam priuantia, & contradicentia, qua oppoſita ſunt.* *Quo pacto oppoſita diuidantur.*

Quæcunque igitur vt ad aliquid opponuntur, ea ipſa, quæ ſunt, oppoſitorum dicūtur, aut quomodolibet aliter ad ipſa: vt duplum dimidij, hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur. Et diſciplina diſciplinato, tanquàm ei quod eſt, ad aliquid, opponitur: & dicitur diſciplina ipſum quod eſt diſciplinati, & diſciplinatum dicitur quod eſt oppoſitum ad diſciplinam: diſciplinatum enim aliquo dicitur diſciplinatum, ſcilicet diſciplina. Quæcūque ergo oppoſita ſunt tanquàm ad aliquid, ea ipſa, quæ ſunt, oppoſitorum, vel alio quomodo libet modo ad inuicem dicuntur.

*Recenſuit Ariſt. quatuor formas oppoſitorum, & ſingulas ſubiectis exemplis illuſtrauit: quod ſolet ille facere frequēter: eaſdem iam definit. Sumit autem exordium à relatis, quæ definit eadem prorſus definitione, quam refutauerat in categoria relatorum, ne videretur hac parte diſcedere à vetere, atque recepta conſuetudine: & exemplis illis vtitur, quibus eo loco vſus fuerat, tametſi potuiſſet iure optimo propria definitione relatorum vti. &c.* *Relata cur in præſentia explicet veterum finitione.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Illa verò, quæ opponuntur vt contraria, ea ipſa quidem, quæ ſunt, nullo modo ad ſe inuicẽ dicuntur: cõtraria verò ſibi inuicem dicũtur. Neque enim bonũ, mali dicitur bonũ, ſed cõtrarium: nec album nigri album, ſed contrarium: quare differunt ab inuicem hæ oppoſitiones.

Compa= rat relata cõtrarijs. *Vt exactius diſtinguat relata à cæteris generibus oppoſitorũ, cõpa rat ea cũ alijs formis, incipiens à cõtrarijs, quæ nos aduerſa vocamus: atq; ita inquit, Diuerſa eſſe à relatis cõtraria, quoniam cõtraria nõ dicũtur aliorũ, neque ad ſe inuicẽ: bonũ enim nõ dicitur mali bonũ. neq; iuſtitia, iniuſtitiæ iuſtitia, tametſi dicatur bonũ contrariũ mali: oportebat autẽ, vt bonum mali bonũ diceretur, ſicut pater dicitur filij pater, ſi hæc cõtraria aliorũ eſſe dicerẽtur. Diſtingũtur ergo cõtraria à relatis, argumento ſumpto à definitione relatorum. Ea enim nõ poteſt cõtrarijs accõmodari: quæ enim cõtraria vocãtur, vt atrũ, candidum, frigidũ, calidum, nõ cõferuntur inuicem, neque vnum ad alterum refertur, at verò cõtrarium, quà contrariũ eſt, ad alterũ dicitur, eſt enim (vt innui paulò ſuperius) cõtrarium, alteri contrariũ, per ſe verò cõtrariũ minimè dicitur, atque hoc eſt, quod Ariſt. inquit: Quæ opponũtur, vt cõtraria, ſunt autẽ hæc, quæ cõtrariorum appellationẽ ſuſcipiunt, ea ipſa quæ ſunt, nullo modo ad ſe inuicẽ dicuntur, contraria verò ſibi inuicem dicuntur.*

Quæcũque verò cõtrariorum talia ſunt, vt in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prædicãtur, neceſſariũ ſit alterum ipſorum ineſſe, horum nihil eſt mediũ. Quorum verò nõ eſt neceſſariũ alterum ineſſe, horũ omninò eſt aliquid mediũ: vt Aegritudo, & Sanitas in corpore animalis nata ſunt fieri, & neceſſariũ eſt alterum ipſorum ineſſe animalis corpori, vel ægritudinẽ, vel ſanitatem. Et Par quidẽ, & Impar, de numero prædicãtur: & neceſſe eſt horum alterũ numero ineſſe, vel par, vel impar, & nõ eſt horũ aliquod medium, neq; ægritudinis & ſanitatis, neque imparis atq; paris. Quorum autẽ non eſt neceſſariũ alterũ ineſſe, eorũ eſt aliquod medium: vt Nigrum, & Album in corpore nata ſunt fieri: & nõ eſt neceſſariũ alterum eorũ ineſſe corpori: non enim omne corpus vel album, vel nigrũ eſt. Sed & Prauum, & Studioſum prędicãtur quidẽ de homine, & de aliis cõpluribus: ſed nõ eſt neceſſariũ alterũ eorũ ineſſe iis, de quibus prędicãtur: nõ enim omnia aut praua, aut ſtudioſa ſunt, ſed eſt aliquid eorũ mediũ: vt albi, & nigri fuſcũ, & pallidũ,



(c) 2007 Ministerio de Cultura

& quicunque alij colores: praui verò, & ſtudioſi, quod neque prauum, neque ſtudioſum eſt. In aliquibus igitur mediis poſita ſunt nomina: vt albi, & nigri fuſcum, & pallidum, & quicũque alij huiuſmodi colores, In aliquibus verò non facilè eſt, medium nomine aſsignare, vtriuſque verò extremorum negatione medium definitur: vt, quod neque bonum, neque malum eſt, neque iuſtum, neque iniuſtum.

*Cœpit Ariſt. diſcrime aſsignare inter ea, quæ cũ altero cõferũtur, & cõtraria. Verùm vt id præſtet melius, cõtraria diuidit, dicens, Contrariorũ duæ ſunt partes: quęda enim cõtraria medio vacãt, quæ vulgò immediata vocãtur, alia mediũ habẽt, quæ ſophiſtæ mediata appellant: vtrũque verò genus cõtrariorum definitione explicat. Cõtraria itaque medio vacãtia illa ſunt, quorũ alterũ neceſſe eſt ineſſe his, in quibus nata ſunt fieri, aut de quibus prædicãtur. Huius rei duo adhibet exẽpla. Primum, eſt par atque impar: nã neceſſe eſt omnẽ numerum, de quo hæc prædicãtur, parẽ eſſe, aut imparẽ. Alterũ eſt ſanitas, atque ægritudo: hæc enim nata ſunt fieri in corpore, & omne corpus ſanũ eſt, aut ægrũ: atq; ideo par, & impar, ſanum, & ægrũ cõtraria ſunt vacãtia medio. Ariſt. enim nihil putat eſſe medium ſani, atque ægri, ſed omne animal aut ſanũ eſſe, aut ægrum: quoniã aut animal cõſtat tẽperamento quatuor principiũ qualitatũ, aut nõ cõſtat. ſi conſtat, valet, ſi nõ cõſtat, ægrũ eſt. Medici arbitratur mediũ eſſe inter ſanũ, & ægrum, quod neq; omnino ſanũ ſit, neq; ægrũ omnino. hoc vocãt neutrũ: huiuſmodi illud eſt, quod poſt morbũ depulſum nondũ vires integras reſumpſit. Vnde quidã ipſorum medicinã definit, artẽ ſanorũ, ægrorũ, & neutrorũ. Illa cõtraria medium habẽt, quorũ alterum nõ eſt neceſſariũ ei ineſſe, in quo nata ſunt fieri: huiuſmodi ſunt album, & nigrũ, prauũ, & ſtudioſum: album enim, & nigrũ in corpore fieri nata ſunt, & non eſt neceſſariũ, vt corpus omne albũ, aut nigrum ſit, cùm ſint multi colores medij, vt cõſtat: prauum prætereà, & ſtudioſum in homine exiſtunt, eſt enim homo vel prauus, vel ſtudioſus: at verò neceſſariũ non eſt, vt alterũ ipſorum homini inſit: eſt enim aliquis, qui neq; prauus ſit, neque prætereà ſtudioſus. Verùm illud intereſt inter cõtraria medio prædita, quod quorumdã medio nomen poſitum eſt, quo vulgò vtimur: huiuſmodi ſunt album, & nigrum, quorum multa media exiſtunt nomine prædita, Pallidum,*

*Duo genera contrariorum.*

*Cõtraria medio vacantia.*

*Par. impar.*

*Sanitas, ægritudo medio vacantia.*

*Cõtraria habentia medium.*

*Cõtraria medio prædita, duplici genere cõtinentur.*

AA ij fuſcum

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*fuſcum, viride, glaucum, & ſimilia. &c.*

*Aliorum medium, nomen non habet, ſed negatione vtriuſque extremi ſignificatur, vt quod eſt inter prauum, atque ſtudioſum: illud enim neque prauum, neque ſtudioſum dicitur: medium etiam inter iuſtum, atque iniuſtum, neque iuſtum, neque iniuſtum dicimus.*

Priuatio verò, & Habitus, dicuntur quidem circa idem aliquid: vt viſio, & cęcitas circa oculum. Vniuerſaliter autem dicendo, eſt in quo natus eſt habitus fieri, circa hoc dicitur vtrunque eorũ fieri. priuari verò tunc dicimus vnũquodque habitus ſuſceptibilium, quãdo is, in quo natus eſt ineſſe, vel quando illud natum eſt habere, nullo modo inſit. Edentulum enim dicimus, non quod nõ habet dentes: & cæcum, non quod nõ habet viſum: ſed quod non habet, quando natum eſt habere. Aliqua enim ex natiuitate neque dentes habent, neque viſum: ſed non dicũtur edentula, neque cæca. Priuari verò, & habere habitũ, non eſt priuatio, & habitus. Habitus enim viſus eſt, priuatio verò cæcitas. Habere autẽ viſum, non eſt viſus: nec cæcum eſſe, cæcitas. Priuatio enim quædã eſt cæcitas: cæcum verò eſſe priuari, nõ priuatio eſt. Amplius: Si idem eſſet cæcitas, & cęcum eſſe, vtraque de eodẽ prædicarẽtur: ſed cæcus quidem dicitur homo, cæcitas verò homo nullo modo dicitur. Opponi quidem etiã iſta videtur, priuari ſcilicet, & habere habitũ quẽadmodum priuatio, & habitus: idem enim modus eſt oppoſitionis: nã ſicut cęcitas viſui opponitur, ſic cæcũ eſſe, & viſum habere opponũtur.

*Hactenus relata ſeparauit Ariſt. à cõtrarijs: nunc de priuãtibus differit, vt monſtret illa eſſe etiam à relatis longè diuerſa: explicata enim natura priuãtium, apertè cõſtabit, hoc ipſum quod ſunt, nõ dici aliorũ aliquo modo, atque ex conſequenti à relatis maximè differre.*

*Habitus, & priuatio circa idẽ fieri nata ſũt.* *In primis ergo admonet habitũ, & priuationem nata eſſe fieri circa idem: exẽplo rem probat: viſio enim, quæ habitus quidã eſt, & cæcitas, quæ eſt priuatio viſus, circa oculum verſantur, atq; in cæteris priuãtibus eodem modo cõtingit. Hoc vbi dixit, definit priuãtia hoc modo,* *Priuãtiũ finitio.* *Priuari dicimus vnũquodque habitus ſuſceptibiliũ, quando is ipſe habitus nõ ineſt in quo natus eſt ineſſe, & quãdo illud natum eſt habere. Hanc verò definitionẽ vt exactius intelligamus, animaduertẽdum eſt tria eſſe neceſſaria, vt aliquid priuari dicatur. Primũ eſt, vt quod priuatur habitu, ſit natũ habitum ſuſcipere. Deinde in parte, in qua habitus fieri natus eſt. Poſtremò tempus: is enim cæcus vocatur,*

*v.g.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*verbi gratia, qui videre natus eſt, & qua parte cernere debet, & quo tẽpore. Quare lapis cæcus nulla ratione dicetur, etiam ſi minimè videat, quoniã videre natus non eſt. Neque etiã homo pedibus cæcus dicitur, quoniã ea parte cernere nõ debuit. Neque rurſum canis ante illud tẽpus, in quo videre natura cani cõceſſum eſt. Scimus enim catulum nõ cernere, quũ primùm natus eſt: ſed diebus aliquot iam exactis. Idem de cæteris cẽſendum eſt: nam omniũ priuãtium idem iudicium prorſus eſt, quod ad hãc rem attinet. Admonet tamẽ Ariſt. quòd nõ eſt idem habere habitũ, & habitus ipſe, vt videre, & viſus: neque priuatio, & priuatũ eſſe, cæcum, inquã, eſſe, & cæcitas: quod nõnulli veterũ philoſophorum arbitrati ſunt. Hoc probat duplici argumento. Primũ ſumitur à cõtradicentibus, & ita colligitur: Qualia pugnãt cũ ipſis qualitatibus, ſed habere eſt quale, habitus qualitas, priuari eſt quale, priuatio qualitas, ergo diuerſa ſunt habere, & habitus, priuari, & priuatio: eãdem rem ſubiectis exẽplis illuſtrat Ariſt.*

*Tria neceſſaria, vt quidpiã priuari aliqua re dicat.*

*Non eſt idẽ habitus, & habere habitum.*

*Prĩa rõ.*

*Alterum argumẽtum ſumitur à diſentaneis, & hoc modo colligitur: Si idem eſſent videre, & viſio, cæcum eſſe, & cæcitas, de eiſdem prædicarẽtur. ſed nõ prædicãtur de eodem, ergo nõ ſunt eadẽ. Diſcurſus legitimus eſt, & maior cõſtat exẽplo: rationale enim, & homo, quia eadem ſunt, de eodẽ prædicãtur: item aptum ad ridẽdum, & homo. Minor probatur: nã habere viſum, de homine dicitur, habet enim viſum: viſio verò nõ dicitur de eodem: idẽ cenſendum eſt de cæcitate, & cæcum eſſe. Licet verò hæc eadem nõ ſint, proculdubio illud verũ eſt, quòd eodẽ modo opponuntur, quo habitus, & priuatio: nam ſicut cæcitas, & viſio priuantia ſunt, ita quoque cæcum eſſe, & videre.*

*Secunda ratio.*

*Quo modo hæc oppõnãtur.*

Non eſt autem neque hoc, quod ſub affirmatione, & negatione eſt, affirmatio, & negatio: affirmatio nanque oratio affirmatiua eſt: & negatio, oratio negatiua: quod verò ſub affirmatione, & negatione eſt, nulla eſt oratio, ſed res ipſæ. Dicuntur autem etiam hæc eſſe oppoſita ad inuicem tanquàm affirmatio, & negatio: nam & in his modus oppoſitionis idem eſt. Sicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod ſedet, ei quod non ſedet: ſic & res quæ ſub vtroque poſitæ ſunt, ſcilicet ſedere aliquem & non ſedere, ſibi mutuò aduerſantur.

*Poſtremò ergo, vt diſcrimẽ inter oppoſita aſſignet, quàm exactiſ-*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*Diſcrimē affirmationis, & negationis, & eorū quæ his ſignificantur.*

*ſime fieri poſsit, explanat Ariſt. contradicentia, hoc eſt, affirmationem, & negationem, atque ita inquit, Illud intereſſe inter affirmationem, & negationem, & quæ ſignificantur affirmatione, & negatione, quòd affirmatio, & negatio orationes ſunt, vt homo currit, homo nō currit: quæ verò ſub affirmatione, & negatione ſunt, nō ſunt orationes, ſed potius res ipſæ ſubiectæ affirmationi, & negationi. Hoc tamen ſi verum ſit, quo pacto opponuntur affirmatio, & negatio, eodem res ipſæ ſunt oppoſitæ: vt enim affirmatio, atque negatio contradicunt, ita quoque contradicunt res ipſæ, vt ſedere aliquem, non ſedere aliquem.*

Quòd autem Priuatio, & Habitus non opponantur vt Ad aliquid, manifeſtum eſt: non enim dicitur idipſum quod eſt oppoſitorū: viſus enim nō eſt cæcitatis viſus, nec vllo alio modo ad ipſum dicitur. Similiter autē neq; cæcitas viſionis cæcitas dicitur, ſed priuatio quidē viſionis dicitur: cæcitas verò viſionis nō dicitur, neq; viſus cæcitatis. Amplius: Ad aliquid omnia ad conuertentia dicūtur: quare ſi cæcitas eorum, quæ ad aliquid ſunt, eſſet, vtique & cōuerteretur ad illud ad quod dicitur: ſed non cōuertitur: non enim dicitur viſus, cæcitatis viſus.

*Relata à priuantibus differunt.*

*Prima ratio à definitione.*

*Expoſuit hactenus Ariſt. quatuor formas oppoſitorum, relata, in quā, cōtradicentia, priuātia, aduerſa: præterea diſtinxit relata ab aduerſis: nunc eadē à duabus alijs formis oppoſitorū diſtinguit, incipiēs à priuātibus. Ait itaque relata diuerſa eſſe à priuātibus: rem probat duplici ratione. Vna ſumitur à diſsimilitudine definitionum: definitio ſiquidem relatorum non poteſt priuantibus conuenire: priuantia enim hoc ipſum quod ſunt, non dicuntur eſſe aliorum, nam cæcitas, non dicitur viſus cæcitas, neque viſio, cæcitatis viſio.*

*Secunda ratio à ꝓprio.*

*Alterum argumentum ſumitur à proprio, quod ita colligitur: Relata dicuntur ad conuertentia, vt oſtendimus, cùm de his, quæ cum alio conferuntur, ageremus, priuantia non dicuntur ad conuertentia, ſiquidem cæcitas, non eſt viſionis cæcitas, neque viſio, cæcitatis viſio, ergo non dicuntur ad conuertentia: conſequētia legitima eſt in quarto modo ſecundæ figuræ.*

*Tertia ratio.*

*Tertia ratio addi poteſt, quæ ſic cōcluditur: Relatorum ea vis eſt,*

vt

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*vt vnum ſtatuat alterum, pater enim filium ponit, atqui priuantium vnum alterum aufert, vt cõſtat, ergo hæc nõ ſunt relata. Sed ne putaret aliquis, quòd tametſi cæcitas nõ referatur ad viſum per caſum gignendi, refertur alio caſu: (ſcimus enim multis modis explicari poſſe habitudinẽ, quæ inter relata exiſtit,) hãc dubitationẽ adimit Ariſt. Sed cõtra iſtam ſentẽtiam ſic obijcio: Cæcitas refertur ad viſionem, ergo falſum eſt, quod diximus, rogãti enim cuius ſit cæcitas, reſpõdemus viſionis. Et confirmatur, quoniã cæcitas, autore Ariſt. priuatio viſionis dicitur, ergo eſt cæcitas, viſionis cæcitas: nam quãdo genus de aliquo dicitur, ſecundum aliquã ſpeciem dicitur, atqui priuatio genus eſt, ergo ſi dicitur viſionis priuatio, dicetur viſionis cæcitas, nam non eſt vlla alia forma ſecundum quam priuatio viſionis dicatur, atque ex conſequenti cæcitas, & viſio ad conuertentia dicentur, & relata erunt. Vt iſtam dubitationem adimamus, ſcire oportet, quòd viſus bifariam vſurpatur, nam de potentia videndi dicitur, atque etiam de actione. Cum ergo Ariſt. inquit cæcitatem non eſſe viſus, non accipit viſum pro facultate videndi, ſed pro actione, & iſto modo apertè conſtat cæcitatem non eſſe viſus, ſed hominis, vel potentiæ videndi. Ad alteram dubitationis partem dicendum eſt, quòd cùm priuatio adimat, non eſt verum genus, neque veras habet formas, neque eius loco aliud collocare licet. Secus eſt in illis, quæ vera genera ſunt, & proprias ſub ſe formas habent.*

*Obiectio.* *Confirmatur ratio.* *Obſeruatio.* *Soluitur.* 1 2 *Priuãtia formas nõ habent.*

Quòd autem neque vt contraria opponantur, quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur, ex his manifeſtum eſt: contrariorum enim, quorũ nihil eſt medium, neceſſe eſt in quibus fieri nata ſunt, aut de quibus prædicantur, alterum ipſorum ineſſe ſemper. Eorum enim nihil medium erat, quorũ alterum ineſſe ſuſceptibili neceſſarium erat: vt in lãguore, & ſanitate, & impari, atque pari. Quorum verò aliquid medium eſt, nunquã neceſſe eſt omni ſuſceptibili ineſſe alterum: neque enim neceſſe eſt omne ſuſceptibile vel candidum, vel nigrum eſſe: neque frigidum, vel calidum. Horum enim medium aliquid, nihil eſſe prohibet: inſuper autem & eorum erat aliquid medium, quorum alterũ ineſſe ſuſceptibili nõ neceſſariũ erat: præter illa quibus vnũ ineſt naturaliter,



(c) 2007 Ministerio de Cultura

vt igni calidum eſſe, & niui candidum. In his enim determinatè neceſſarium eſt alterum ineſſe, & non alterutrum: nō enim poſsibile eſt, ignem frigidum eſſe: neque niuem nigram. Quare omni quidem ſuſceptibili non neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe, ſed ſolis, quibus natura vnum ineſt, & his determinatè vnum, non alterutrum contingit. In priuatione autem, & habitu, neutrum eorum, quæ dicta ſunt, verum eſt: non enim ſemper alterum eorum ineſſe ſuſceptibili neceſſariũ eſt: quod enim nōdum natum eſt habere viſum, neque cæcum, neque viſum habens dicitur: quare non erunt hæc, vt ea contraria, quorum nihil eſt medium, ſed neque vt ea, quorum aliquid eſt medium: neceſſarium enim eſt aliquando omni ſuſceptibili alterum eorũ ineſſe: quãdo enim iam ad habendam viſionem natum fuerit: tunc aut cæcum, aut habens viſum dicetur. Et eorum non determinatè alterum, ſed alterutrum contingit: non enim neceſſariũ eſt vel cæcum, vel viſum habens eſſe, ſed vtrumuis contingit. In contrariis autem, quorum aliquid medium eſt, nũquàm neceſſariũ erit omni ſuſceptibili alterum ineſſe: ſed quibuſdã, & his determinatè vnũ, & non vtrumuis cōtingit. Vnde palàm eſt, quòd ſecũdum neutrum modorum tãquàm cōtraria opponuntur ea, quæ ſecundum priuationem, & habitum opponuntur.

*Si ſuſceptam rationẽ diſſerendi Ariſt. ſeruaret, in præſentia aſsignare debuit diſcrimẽ inter relata, & cōtradicentia: quoniã verò eadem fermè ratio eſt diſtinguẽdi relata, & priuãtia à contradicentibus, ſeparat prius priuãtia ab aduerſis, vt poſteà priuantia, & contraria ſimul diſtinguat ab affirmatione, & negatione. Atqui cùm ſint multæ formæ contrariorum, quod oſtendimus paulo ſuperius, à ſingulis priuantia diſtinguit, vt omnis ambigẽdi anſa infringatur. Facit autem argumẽtum à diuiſione contrariorum, quod ita colligitur:*

*Diſtinguit priuantia ab aduerſis.*

*Contrariorũ, quorum mediũ nō eſt, neceſſe eſt alterum ineſſe ei, in quo nata ſunt eſſe, vel de quibus prædicantur: ſi verò medium habeant, non eſt neceſſariũ, vt alterum ſemper ſubiecto inſit, niſi inſit natura, atqui priuantia nihil horũ habent, ergo diuerſa ſunt à contrarijs. Diſcurſus legitimus eſt in quarto modo ſecundæ figuræ. Antecedens omnino verum eſt, ergo & cōſequens. Primum quidẽ maior vera eſt, nam cōtraria medio vacantia, cuiuſmodi ſunt ſanitas, & ægritudo opinione Ariſt. item etiam par, atque impar illud habent peculiare,*

*Syllogiſmus.*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*liare, vt alterum ipſorum neceſſariò inſit, nõ quidem omni ſubiecto, ſed illi tantùm, in quo fieri nata ſunt, vel de quo prædicantur: vnde cùm ſanitas, & ægritudo in animali fieri nata ſint, neceſſarium quidem eſt, vt alterum ipſorum animali ſemper inſit, modò vnum, modò alterum: animal enim neceſſariò aut ſanum, aut ægrum eſt. Omnis etiam numerus neceſſariò par, aut impar dicitur, nam de numero nata ſunt prædicari par, atque impar,*

*Si verò cõtraria medio vacent, nõ eſt neceſſarium, vt ſemper alterũ ipſorũ ei ſubiecto inſit, in quo fieri nata ſunt: corpus enim, in quo album, & nigrum fieri nata ſunt, nõ eſt neceſſario cãdidum, aut nigrum, poteſt enim ſuſcipere medios colores, qui plurimi ſanè exiſtũt. Hoc autẽ verum eſt, quãdo alterum duorum cõtrariorum, quæ medium habẽt, non ineſt rei ſecundum naturã: tunc enim illud neceſſariò ſemper habebit. ignis enim, quoniã natura calidus eſt, ſemper calidus eſt, neq; vnquàm frigidus eſſe poteſt. Nix verò quoniam natura frigida eſt, calorẽ nunquam ſuſcipiet, quo calida vocetur, atq; in cæteris ſimili modo cõtingit. Minor verò probatur. In primis nõ eſt neceſſarium, vt alterum inſit ſubiecto: catulus enim ante tẽpus quoddam, in quo cernere illi natura cõceſſum eſt, neque cæcus eſt, neque videt. Quare differunt priuãtia à cõtrarijs medio vacãtibus, differunt præterea à contrarijs medio præditis. Nam poſtquàm res ipſa habitum ſuſcipere nata eſt, neceſſe quidem eſt, vel habitum, vel priuationem habere, nunquam tamen neceſſarium eſt, habitum, aut priuationem habere definitè, ſed alterutrum quo nomine priuantia differunt à cõtrarijs habentibus medium, quorum alterum ſubiecto natura ineſt. Et hæc vna ratio eſt diſtinguendi à priuantibus contraria.*

*Cõtraria vacantia medio.*

*Ignis.*

*Nix.*

*Catulus.*

Amplius: In contrariis quidem cùm ſit ſuſceptibile, ad inuicẽ mutationẽ fieri poſsibile eſt, niſi alicui vnũ natura ineſt, vt igni calidum: etenim ſanũ poſsibile eſt languere, & cãdidum nigrũ fieri, & calidum frigidũ: & ex ſtudioſo prauũ, & ex prauo ſtudioſum fieri poſsibile eſt: prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas, etſi ad modicũ aliquid proficiat, vt melior ſit: ſi certè ſemel quãuis modicum incrementũ ſumpſerit, palàm eſt, quia aut perfectè mutabitur, aut ſatis multum incremẽtum ſumet: ſemper enim bene mobilior ad virtutem



(c) 2007 Ministerio de Cultura

fit, etiã quodcunq; cremẽtum ſumpſerit à principio, quare etiam veriſimile eſt, plenius eũ ſumere incremẽtũ: & hoc dũ ſemper fit, perfectè in contrariũ habitũ reſtituetur, niſi fortè tẽpore prohibeatur. Verũ in priuatione, & habitu impoſsibile eſt ad inuicẽ mutationẽ fieri: ex habitu enĩ in priuationẽ mutatio fit: à priuatione verò in habitũ impoſsibile eſt: neq; enĩ cæc⁹ factus aliqs, rurſus vidit: neq; cũ caluus fuerit, rurſus comatus factus eſt: neq; cũ fuerit edẽtulus, dentes ei iterũ orti ſunt.

*Eandem ſententiam probat alio argumento à diſſentaneis, quod ita colligitur:*

*Secũdum argumentum à diſſentaneis* *Contraria inuicẽ permutantur: priuantia non permutantur inuicem, ergo contraria differunt à priuantibus. Diſcurſus legitimus eſt in quarto modo ſecundæ figuræ, antecedens probatur. Primùm quidem maior vera eſt, modò adſit ſubiectum, in quo fiat permutatio:* *Permutatio fit in ſubiecto.* *nam permutatio in ſubiecto fit, cùm, inquam, ex ſubiecto vnum contrarium abijcitur, vt ſuſcipiatur alterum.*

*Deinde vt permutatio fiat, neceſſe eſt, vt vnum cõtrarium nõ inſit natura ipſi ſubiecto, alias nunquàm permutatio fiet: ignis enim, quia natura calidus eſt, frigidus non fit: neq; nix calida, cui natura frigus ineſt. Hæc duo ſi adſint, vnum cõtrarium in alterum permutabitur, atque id viciſsim. Rem familiaribus exemplis docet: nam à ſanitate in ægritudinem, & contraria ratione permutamur: fit etiam ex prauo ſtudioſus, atque etiam ex ſtudioſo prauus: quòd verò ex ſtudioſo prauus fiat, ratione non demonſtrat Ariſtote. quoniam bona, vt* *Quintilianus.* *Quintilianus ait, facilè mutãtur in peius. Et Terentius dixit, A labore proclìues ſumus ad libidinem. Quòd verò ex prauo fieri ſtudioſus* *Terẽtius.* *poſsit, & quomodo id fiat, Ariſt. paucis admonet, vt hijs, qui cupiũt meliores fieri, aditum aperiat ad virtutem. Qui enim prauus eſt, ſtudioſus efficietur: primùm ſi de virtute ſermonem audiat: deinde bonis viris aſſueſcat, eorumque conſuetudine, & familiaritate plurimùm vtatur. Ita enim initio minus malus erit, poſteà non malus, rurſum etiã bonus efficietur: atque ita tandem optimus euadet, vſu atq;* *Qua ratione ex prauis, ꝓbi efficiamur.* *præceptis bonorum virorum, niſi ante tempus moriatur. Minor etiã huius ratiocinationis probatur: quia tametſi ex habitu in priuationẽ contendamus, nam qui videt, cæcus fieri poteſt, & caluus, qui capillis*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*tectum caput habet, atque edentulus, qui prius dentes habuit, procul dubio impoßibile eſt regredi à priuatione in habitum: nam neque cæco viſus, neque caluo capilli, neque edentulo dentes reſtituuntur.*

*Sed obÿciet aliquis, nonne edentulo dentes naſcuntur? naſcuntur quidem puero, at non ei, cui ob ætatem exciderunt.* *Obiectio prima.*

*Deinde, nonne multis legimus cæcis hominibus viſum reſtitutum? legimus quidem, ſed diuina virtute, non naturali, de qua Ariſto. in præſentia loquutus eſt.* *Secunda.*

*Rurſum obÿcies, Ariſt. dicere pleriſque animalibus renaſci oculos, & viſum reſtitui: quod ille de hirũdine narrat, cuius pullis, ſi acu pungantur oculi. herba chelidonia reſtituuntur. Sed iſtam obiectionem idem Ariſt. diluit, inquiens, Hoc accidere, cùm punguntur oculi, atque exinaniuntur teneri admodum, & qui nondum ſint abſoluti: nam abſoluti oculi reſtitui non poſſunt.* *Tertia.*

Quęcũq; verò tãquàm affirmatio, & negatio opponũtur, palàm eſt quia nullo prædictorũ modorũ opponuntur: in ſolis enim his neceſſariũ eſt ſemp, hoc quidẽ eorum verũ, illud autẽ falſum eſſe. Neq; enim in cõtrariis neceſſarium eſt ſemper alterũ verũ eſſe, alterũ autẽ falſum: neq; in iis, quæ ad aliquid ſunt, neq; in habitu, & priuatione: vt ſanitas, & lãguor cõtraria ſunt, & neutrũ neq; verũ, neq; falſum eſt. Similiter autẽ & duplũ, & dimidium tãquàm ad aliquid oppoſita ſunt: & nõ eſt eorũ neutrũ, neq; verũ, neq; falſum. Sed neq; ea quæ ſecũdum priuationẽ, & habitũ dicuntur, ſicut viſio, & cæcitas. Omninò autẽ eorũ, quæ ſecundum nullã dicũtur cõplexionẽ, nihil neq; verũ, neq; falſum eſt: omnia autẽ, quæ dicta ſunt, ſine cõplexione dicũtur. Verũtamẽ maximè tale hoc cõtingere videbitur in iis, quæ ſecũdum cõplexionẽ cõtraria dicũtur. Sanũ nanq; eſſe Socratẽ, ad lãguere Socratẽ cõtrarium eſt. Sed neq; in his neceſſariũ ſemper alterũ verũ eſſe, & alterũ falſum: cùm enim Socrates ſit, aliud quidẽ verum, aliud aute falſum erit: cùm verò nõ ſit, ambo falſa ſunt: neq; enim lãguere, neque ſanũ eſſe verum eſt, cùm ipſe nõ ſit omninò Socrates. In priuatione verò, & habitu, cũ nõ ſit omninò, neutrũ verum eſt: cùm autem ſit, nõ ſemper alterũ quidem verũ erit, alterũ autẽ falſum: habere nãq; viſum Socratẽ, ei, quod eſt cæcũ eſſe Socratẽ, opponitur, ſicut priuatio, & habitus: & cùm ſit, nõ neceſſariũ eſt alterũ verũ eſſe, vel falſum. cùm enim nõdum ſit natus habere, vtraq; falſa ſunt: & cùm non ſit omninò Socrates, ſimiliter



(c) 2007 Ministerio de Cultura

quoq; falſa ſunt vtraque, & viſum eum habere, & cæcū eſſe. In affirmatione verò & negatione, ſemper ſiue ſit, ſiue nō ſit, hoc quidem falſum erit, illud autē verū. Languere nanq; Socratē, & nō languere Socratē, cùm ipſe ſit, palàm eſt quoniā alterum eorū verum, alterū verò falſum eſt: & cùm nō ſit, ſimiliter. Languere etenim cùm nō ſit, falſum eſt: nō lāguere autē, verū. Quare in his ſolis ꝓpriū erit ſemꝑ alterū eorū verū, alterū falſum eſſe, quæcunq; tanq̄ affirmatio, & negatio opponuntur.

*Confert iam Ariſt. cōtradicentia cum tribus ſuperioribus generibus oppoſitorū, & probat ab illis diuerſa eſſe, argumento à diſſentaneis, quod ita colligitur: In cōtradicentibus neceſſariū eſt, alterā partem verā eſſe, alteram falſam, hoc autē non ita contingit in vllo prædictorū oppoſitorū, ergo diuerſa ſunt cōtradicētia à reliquis oppoſitis.*

*Syllogiſmus.*

*Diſcurſus eſt legitimus, & maior aperta eſt: nam de quolibet eſt affirmatio, vel negatio, & de nullo ambo ſimul, & quoniam iſtud eſt principium cōmune, & natura inſitum omnium hominum animis, nullam rationem adhibet, neque prætereà exemplum Ariſt. quo huius rei fidem faciat.*

*De quolibet eſt affirmatio, vel negatio.*

*Minorem verò propoſitionem duplici argumento probat. Primùm quidem exemplo, deinde ratione. Exemplo quidem, quoniā neque pater, & filius, quæ ſunt relata, neque candidū, & nigrum, quæ ſunt cōtraria, neque cæcum, & videns, quæ ſunt priuantia, verū, aut falſum ſignificant.*

*Exemplo rē ꝓbat.*

*Ratione etiam ſic demonſtrat: Sola affirmatio, & negatio vera eſt, vel falſa: relata, contraria, priuantia, nō ſunt affirmationes, neque negationes, ergo neque ſignificant verum, neque falſum. Conſequtio legitima eſt, & minor aperta. Quoniam omnia iſta genera contrariorum, ſeu oppoſitorum incōpoſita ſunt, vt cōſtat. Maior eſt etiam aperta, quia in compoſitione, & diuiſione eſt verum, vel falſum, cap. 1. lib. de interpretatione: quare hæc non ſunt vera, neque falſa, contradicentia verò ſunt affirmatio, atque negatio, ergo vera, vel falſa ſunt, atque ex conſequenti diſtinguntur à cæteris generibus oppoſitorum.*

*Ratio.*

*Verùm Ariſt. obiectionem diluit. Poſſet quiſpiam dicere cætera genera oppoſitorum nō diuidere neceſſario verum à falſo, quoniā inconiuncta ſunt, atqui ſi iungantur, & ex eiſdem efficiatur affirmatio, & negatio, alteram partē eſſe neceſſario veram, alterā falſam,*

*Occurrit Ariſt. obiectioni.*

*atque*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*atque ideo non eſſe diuerſa à contradicentibus. Ille reſpōdet differre contradicentia à cæteris. Nam contraditionis altera pars neceſſariò vera eſt, altera falſa. Omne enim quod eſt, aut ſedet, aut non ſedet: aut pater eſt, aut non pater: aut videns, aut nō videns: aut candidū, aut non cādidum, ſiue exiſtat, ſiue non. At verò nō neceſſarium eſt in cæteris ita contingere. Si enim res ſit, & contraria medio vacent, alterum verum eſt, alterum falſum: vt ſi ſit Socrates, aut ſanus eſt, aut æger. Si verò contraria medio nō vacent, aut res ipſa non ſit, nō eſt neceſſarium, vt alterum verum ſit, alterum falſum, poteſt enim vtrunque falſum eſſe, vt ſi non ſit Socrates, neque ſanus eſt, neque languet. Idem contingit in priuantibus: nam Plato modò neque videt, neque eſt cæcus, atque etiam in relatis. nam neque pater eſt Plato, neque filius, cùm non ſit. Quare hoc nomine maximè differunt contradicentia à tribus ſuperioribus generibus oppoſitorum:*

*Diſtinxit Ariſt. hactenus oppoſita, atq; eorum quatuor eſſe formas oſtendit: iam contrariorum propria quædam explanat, cæteris oppoſitorum formis prætermiſſis. Primum adducit illis verbis.* *Primum proprium*

Cōtrarium autē bono quidem ex neceſsitate malum eſt: hoc autem per ſingulorum inductionē palàm eſt, vt ſanitati languor, & iuſtitiæ iniuſtitia, & fortitudini timiditas, ſimiliter autem & in aliis. Malo autem aliquādo quidem Bonum eſt cōtrarium: aliquando malum. Defectui enim (cū malū ſit) ſuperabūdātia cōtraria eſt, cū ſit etiā ipſa malū. Similiter aūt & mediocritas cū vtriq; cōtraria ſit, bonū eſt. Sed in paucis quis tale hoc aſpiciet: in pluribus verò ſemper malo bonū cōtrariū eſt,

*Cuius ſenſus eſt, cōtrarium bono ex neceſſitate malum eſt, malo autem interdum bonū, interdum malum cōtrarium eſt. Priorem huius præcepti partem inductione demonſtrat Ariſt. ſanitati enim langor cōtrarius eſt, & iuſtitiæ iniuſtitia, & fortitudini timiditas. Poſterior etiā conſtat inductione: nā prodigalitati, quæ malum eſt, contraria eſt auaritia, quæ eſt malum: & liberalitas, quæ bonum quoddam eſt. Idem etiā contingit in cæteris virtutibus, quoniam cùm virtus ſit medium quoddam, poſita eſt inter duo vitia contraria ipſi virtuti, atque inter ſe: quorum alterum exuperantiam ſignificat, alterum defectum. Verùm quoniam pauca extrema, nomina habent po-* *Bonū cui ſit contrarium.* *Virtutis cōtraria.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*ſita, vt ſecundo Ethico. docet Ariſto. huius partis pauca exempla reperiuntur, prioris verò multa.*

Amplius: Contrariorum non neceſſarium eſt ſi alterum ſit, & reliquum eſſe. Sanis nanque omnibus, ſanitas quidem erit: languor verò non. Similiter autem ſi omnes albi ſint, albedo quidem erit, nigredo verò non. Amplius: Si ei quod eſt Socratem ſanum eſſe, Socratem languere cõtrarium eſt, non cõtingit, ſimul vtraque eidem ineſſe: nõ vtique continget cùm alterum contrariorum ſit, & reliquum eſſe: cùm enim ſit Socratem ſanum eſſe, languere Socratem non erit.

*Secũdum propriũ.* *Hoc eſt ſecũdum proprium cõtrariorum: cuius ille ſenſus eſt, non eſſe neceſſarium, ſi ſit vnũ contrariorum, vt adſit etiã alterum. Rem exemplo probat: nam ſi adeſt ſanitas, nõ eſt neceſſe, vt morbus adſit: neque vt adſit iniuſtitia, cùm iuſtitia adeſt.* *Biſariam dicitur cõtrarium.* *Quoniam verò contrarium biſariam dicitur, quoddam enim inconiunctum eſt, alterum cõiunctum, aut compoſitum, præceptum iſtud ad vtrunque contrariorum genus eſt referendum, atque vtrique accõmodatur. Prioris exemplum adductum eſt paulò ſuperius. Poſterioris exemplum deinde adducit, cùm inquit, Si Socratem ſanum eſſe ſit contrarium huic, Socrates languet, & vnum ſit, non eſt neceſſariũ adeſſe alterum: imò verò ſi Socrati vnum adſit, alterum adeſſe non poteſt: duo ſiquidem contraria ineſſe eidem ſimul non poſſunt.*

*Obſeruatio.* *Animaduerte tamen, quòd cùm Ariſt. inquit, Si adeſt vnum contrarium, non eſſe neceſſarium, vt adſit alterum, contrarias res accipit, non nomina contraria. Nam cùm contrarium, contrario contrarium ſit, ſi adſit contrarium vnum, vt contrarium, neceſſarium eſt alterum adeſſe, ſunt enim relata: res verò ipſæ non ita comparantur.*

Palàm verò eſt, quia circa idem aut ſpecie, aut genere, natura habent fieri contraria. Languor nanque & ſanitas in corpore animalis natura habent fieri: albedo autem, & nigredo, ſimpliciter in corpore: iuſtitia verò, & iniuſtitia, in anima hominis.

*Tertium propriũ.* *Ineſt tertiò contrarijs quòd nata ſunt fieri circa idem ſpecie, aut genere. Iuſtitia enim, atque iniuſtitia in anima hominis fieri nata ſunt. animæ verò eædem ſpecie ſunt. Sanitas, atque ægritudo inſunt animali, quod vnum genere eſt. Item albor, & nigror inſunt in corpore,*

(c) 2007 Ministerio de Cultura

*pore, quod eſt etiam vnum genere.*

*Si quærat aliquis, quam obrem, cùm contraria in rebus ſingulis collocata ſint, nō dicat Ariſt. fieri nata eſſe circa id, quod eſt vnum numero. Reſpondebimus ita interroganti non oportuiſſe dicere, quod cōtraria circa idem numero verſentur, ſiquidem circa idem ſpecie verſantur, quia exiſtunt prius in re, quæ eſt vnum numero.* *Quæſtio. Soluitur.*

Neceſſarium autē eſt omnia cōtraria vel in eodē genere eſſe, vel in cōtrariis generibus, vel ipſa genera eſſe: albū enim, & nigrū in eodem genere ſunt: color enim eorū genus eſt: iuſtitia verò, & iniuſtitia in cōtrariis generibus, illius nanq; Virtus genus eſt, huius autē Vitiū: Bonū verò, & malū nō in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorū exiſtētia.

*Poſtremò propriū cōtrariorū Ariſt. explicat his verbis. Illud eſt, quòd cōtraria aut ſunt in eodem genere, vt albū, & nigrū in colore. aut in contrarijs generibus, vt iuſtitia, & iniuſtitia: iuſtitia enim in virtute eſt, iniuſtitia in vitio: at virtus & vitiū genera ſunt, & contraria. aut denique ipſa genera ſunt, vt bonū, & malum: non habent enim duo iſta contraria, ſuperiora vlla genera, ſub quibus collocētur.* *Quartū propriū.*

*Verùm aduerſus iſtam ſentētiam Ariſt. ſic obijcio: Bonū, & malum non ſunt genera, ergo mētitus eſt Ariſt. Antecedens probo: alioqui enim plura eſſent quàm decem genera ſuprema, cōtra eius ſentētiam in categorijs, & Porphiri in ſermone de ſpecie. Deinde etiam ſi illa genera ſint, non poſſunt dici contraria, nam contrariorū vtrūque formam ſignificat: atqui malum non dicit formam, ſed priuantiam, ergo bonum atque malum non ſunt contraria.* *Prima obiectio. Secunda obiectio.*

*Verùm vtraq; ratio adducta facilè ſolui poteſt. Primùm quidem Ariſt. bonum & malum non appellat genera, quòd re vera ſint genera: ſed quoniam communia ſunt, & conſequuntur omnia decem ſuprema genera. Inſunt enim in ſingulis categorijs Ariſt. autore cap. vi. lib. i. Ethic. Eadem ratione ea genera vocat. cap. iij. libr. iiij. Topic. Sunt autem hæc genera ſubiecta morali philoſophiæ: nam ad hæc omnia illius præcepta referuntur. Ad ſecundum dicendum eſt non eſſe vera contraria, ſicut neque vera genera, ſed quandam rationem habere contrariorum.* *Solutio. Bonū & malū quo ſenſu genera ſint.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

## ¶ *Argumentum capitis de modis Prioris.*

*ARiſt. in præſentia explanat modos, quibus aliquid dicitur altero
prius, vt intelligamus, quo ſenſu accipiatur Prius in ſermone de
his, quæ cum alio conferuntur, cum ait, Scibile, & ſenſibile eſſe prio-
ra ſenſu, atque ſcientia.*

## ¶ Caput de modis Prioris.

PRius autem alterum altero dicitur quadrupliciter. Primò quidem,
& maximè propriè ſecūdum tempus, ſecundum quod ſcilicet anti
quius alterū altero, & vetuſtius dicitur. In eo enim ꝙ tēpus amplius
eſt, & antiquius, & vetuſtius dicitur. Secūdò autem quod non cōuerti
tur ſecūdum ſubſiſtendi cōſequentiam: vt vnū duobus prius eſt: duo-
bus enim exiſtentibus, mox vnū eſſe cōſequens eſt: vno verò exiſtēte,
duo eſſe non neceſſariū eſt: quare non cōuertitur ab vno cōſequentia,
vt reliquum ſit. Prius autē illud eſſe videtur, quod nō cōuertitur eſſen
di cōſequentia. Tertiò verò ſecundum ordinē quendam prius dicitur,
quēadmodum & in diſciplinis, & in orationibus: nā in demonſtrati-
uis diſciplinis eſt prius, & poſterius ordine: elementa enim in geome-
tria priora ſunt ordine iis, quæ deſcribūtur per ordinem. Sed & in grá
matica, elementa ſyllabis priora ſunt: & in orationibus ſimiliter proœ
mium narratione prius ordine eſt. Ampliùs: præterea, quæ dicta ſunt,
quod melius, & honorabilius eſt, prius natura eſſe videtur. Conſueue-
runt etiā multi honorabiliores, & magis dilectos à ſe, priores apud ſe
dicere. Sed eſt penè alieniſſimus Priorum hic modus. modi igitur qui
dicti ſunt de Priore, ferè hi ſunt. Videtur autem præter eos, qui dicti
ſunt, alter eſſe Prioris modus. Eorum enim, quæ conuertuntur ſecun-
dum eſſentiæ conſequentiam, id quod alteri quomodolibet cauſa eſt,
dignè prius natura dici poſſit: quòd verò quædam ſint huiuſmodi, pa-
làm eſt. Eſſe nanque hominem, ſecundum eſſentiæ cōſequentiam, ad
veram de ſe cōuertitur orationē. Nam ſi homo eſt, vera eſt oratio, qua
dicitur, quia homo eſt: & ſi vera eſt oratio, qua dicimus quòd homo
eſt, cōſequitur eſſe hominem. Et vera quidem oratio nequaquam cau-
ſa eſt, vt ſit res: veruntamen res quodammodò cauſa videtur, vt ſit vera
oratio: eo enim quòd res eſt, aut non eſt, vera oratio, aut falſa dicitur.
Quare ſecundum quinque modos, prius alterum altero dicitur.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

QVatuor modis, inquit Ariſt. vnum altero dicitur prius, Tẽpore, Natura, Ordine, Dignitate. Tẽpore prius eſt altero, quod eſt eo antiquius, aut vetuſtius. Hac ſignificatione Plato Ariſtotele eſt prior, quia antiquior. Et Athenæ priores Roma, quia vetuſtiores. Inter antiquum verò, atque vetuſtum hoc intereſt, quòd antiquius ad animata refertur, vetuſtius ad inanimata. Quãquàm interdum pro vetuſto vtimur antiquo: vnde illud Vergilij,

*Prius tẽpore.*
*Vetuſtũ, & antiquũ quo pacto differant.*

Vrbs antiqua fuit, tyrij tenuere coloni.

Eſt autem natura prius à quo nõ conuertitur conſequẽtia ſubſiſtẽdi: id eſt, quod ab altero infertur in conſequentia, qua demonſtramus rem ſubſiſtere, & non infert aliud. Hac ſignificatione vnũ eſt prius duobus. Nam ſi duo ſint, eſt etiam vnum. ſi vnum adſit, non eſt neceſſe, vt duo adſint. Animal etiã natura prius eſt, quàm homo. Nã ſi homo ſit, animal eſt: at ſi animal ſit, neceſſariũ nõ eſt, hominẽ eſſe.

*Natura prius.*

Tertio modo vnũ altero ordine dicitur prius. Hic verò modus Prioris peculiaris eſt diſciplinis, atq; etiã orationibus. Nam in diſciplinis quædam antecedere debẽt, alia cõſequi. Quæ antecedunt, ordine priora ſunt his, quæ conſequuntur. In mathematicis enim diſciplinis elementa priora ſunt deſcriptionibus, quia ordine antecedũt. Elementa vocat terminorũ explanationes, vt quid pũctum, quid linea, quid ſuperficies: deſcriptiones verò ipſa theoremata, hoc eſt, ſpeculationes. Atqui elemẽta antecedũt ordine, vt ex Euclide intelliget, qui volet. In grãmatica etiã prius ordine ſunt ſyllabæ, quàm dictiones, & literæ, quàm ſyllabæ: atq; ideo prius docẽtur. Deinde in orationibus oratorijs, prius ordine exordium eſt, quo captatur attẽtio: deinde narratio, tertio loco cõfirmatio, quarto cõfutatio, poſtremò epilogus. Quãquàm interdũ iſte ordo inuertitur: tũc, inquam, cùm cauſa poſtulat, quẽ Cicero ſæpenumero prætermittit. Sed id in oratione tãtũ accidit, nõ in diſciplinis. Ratio eſt, quia in oratiõe partes ordine priores ſunt, non natura: in grãmatica verò, in qua & ordine, & natura ſyllabæ dictionibus, & ſyllabis literæ priores ſunt, nunquàm ordo prætermitti poteſt. Quarto modo prius vocatur, quod eſt honorabilius, atq; præſtatius. Hac ſignificatione apud nos priores eos dicimus, quos magis diligimus: quoniã honore magis digni ſunt. Sed iſte modus parum

*Prius ordine.*
*Elemẽta.*
*Deſcriptio.*
*In grammatica.*
*In rhetorica.*
*Mutatur iſte ordo aliquãdo*
*Prius dignitate.*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*aptus eſt, atque accõmodatus propoſito. Nam ille modus Prioris non à natura ortũ habet, ſed ab electione. Eius ergo loco ſufficit alium modum Prioris Ariſt. atque inquit, Vocari prius id, quod infert alterũ, & infertur ab eo, eſt tamen eius cauſa. Hoc ſenſu Socratem ſedere, prius eſt, quàm oratio iſta, Socrates ſedet, vera ſit. Si enim vera eſt propoſitio, Socrates ſedet: & ſi ſedet, propoſitio vera eſt. Atqui ſedere Socratem, cauſa eſt, cur vera ſit propoſitio, nõ contrà: ab eo enim quòd res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, aut falſa. Quod cap. vij. lib. de interpretatione teſtatur philoſophus, & ſimiliter in categoria ſubſtantiæ. Iſtorum modorũ primus, eſt præſtantiſſimus, & qui maximè dicitur: nempe tempore Prius.*

*Quĩto modo prius.*

*Si quærat aliquis, cur Ariſto. non explicuit vſus Poſterioris, cuius meminerat in categoria relatorum. Ea illi ratio reddatur, quòd prius, & poſterius ſunt oppoſita, & quot modis vnum dicitur, totidem etiam dicitur alterum.*

*Cur nõ retulit intellectus Poſterioris.*

## ¶ *Argumentum.*

*DE modis, quibus ſimul aliqua dicuntur, diſſerit, quoniam in categoria relatorum, dixerat relata eſſe natura ſimul.*

## ¶ De modis Simul.

SImul autem dicũtur ſimpliciter quidem, & propriiſsimè: quorũ generatio in eodẽ eſt tempore: neutrũ enim eorũ neq; prius, neq; poſterius eſt. Simul itaque ſecũdum tẽpus hæc dicũtur. Natura autem ſimul ſunt, quæcũque cõuertuntur quidem ſecũdum quod eſt eſſe conſequentiam, ſed nequaquam alterũ alteri cauſa eſt vt ſit: vt in duplo, & dimidio. cõuertuntur etenim hæc: nam cùm duplũ ſit, dimidiũ eſt: & cùm dimidiũ ſit, duplum eſt: ſed neutrum alteri cauſa eſt, vt ſit. Dicuntur autẽ ſimul natura, & quæ ex eodem genere ediuerſo ab inuicẽ diuiduntur. Ediuerſo autẽ diuidi ab inuicem dicũtur, quæ ſecũdum eandẽ ſunt diuiſionem: vt volatile, greſsibile, & aquatile. Hæc enim ab inuicem ediuerſo diuidũtur, quæ ex eodem genere ſunt. Animal nanq; diuiditur in hæc, volatile, greſsibile, & aquatile: & nihil horum prius, vel poſterius eſt, ſed ſimul hæc natura eſſe videntur. Diuiditur autẽ & ſin-

*Prius dignitate.*

gulum

(c) 2007 Ministerio de Cultura

gulum horum in ſpecies rurſus: vt volatile animal, greſsibile, & aquatile. Erunt ergo & illa ſimul natura, quæcũque ex eodem genere ſecundũ eãdem ſunt diuiſionẽ. Genera verò Speciebus ſemper priora ſunt, neque enim cõuertuntur ſecũdum eſſendi cõſequentiam: vt cùm quidem aquatile ſit, animal eſt: cùm verò ſit animal, nõ neceſſe eſt vt aquatile ſit. Simul ergo natura dicũtur, quæcunq; quidem cõuertuntur ſecũdum eſſendi cõſequentiam, ſed nequaquam alterum alteri vt ſit, cauſa eſt: & ea, quæ ex eodem genere è diuerſo diuidũtur ab inuicem, & ſimpliciter ſimul ſunt, quorum generatio in eodem eſt tempore.

*Tribus modis, inquit Ariſt. aliqua dicuntur eſſe ſimul. Primùm tempore ea ſunt, quorum generatio eodem tempore fuit, vel quæ eodem tempore extiterunt: & hic modus communis eſt, & vulgatus maximè.* Simul tẽpore.

*Secundo modo ſimul natura aliqua eſſe dicuntur: ea ſunt, à quibus conuertitur conſequentia ſubſiſtendi, hoc eſt, quæ viciſim inferuntur, & vnum non eſt alterius cauſa, vt duplum, & dimidium: nam ſi duplum eſt, dimidium eſt, & mutata ratione: & neutrum eſt alterius cauſa.* Simul natura.

*Tertio modo eadem ſecundum naturam ea dicuntur, quæ ex eodem genere, ex aduerſo adinuicem diuidũtur: hoc eſt, quæ ex eadem diuiſione generis ſumuntur ſpecies, vt homo, & brutum, qua ratione animal diuidunt, ſimul natura eſſe dicũtur. Item etiã volatile, greſsibile, & aquatile, quatenus animal diuidunt: ſunt enim ea ratione natura ſimul. Quare ſpecies ſimul omnes natura ſunt, qua ratione genus diſtribuunt: ipſum verò genus, quod diuiditur, prius natura eſt, quàm ſpecies, in quas diuiditur, vt diximus ſuperiori capite.*

*Accipit autem in præſentia greſsibile, aquatile, & volatile non pro differentijs, ſed loco formarum: nam genus, vt diximus alio loco, non diuiditur in differentias, ſed in ſpecies.*

*Si quærat quiſpiam, cur Ariſt. non dixit quinque modis ſimul dici aliqua, cùm Prius quinque modis dicatur, & ſint oppoſita Prius, atq; Simul? Reſpõdebimus eã eſſe rationẽ, quod primus modus primo opponitur. ſecundus ſecundo, & quinto. tertius tertio. quarti verò ratio habita non eſt, quoniam ille modus extraneus eſt. Quare ſub his tribus modis reliqui exiſtunt poteſtate.* Cur non quinque modis ſimul eſſe aliqua dixit.

CC ij Argu-

(c) 2007 Ministerio de Cultura

## ¶ *Argumentum.*

*De motu diſſerit Ariſt. quoniã eius meminerat in categoria ſubſtãtiæ, cùm inquit, Primã ſubſtãtiam per ſui mutationem poſſe ſuſcipere cõtraria, & quæ ſuſcipiũt alia, ipſa permutari. De motu verò alia ratione hoc loco diſſerit, quàm naturalis philoſophus in lib. de phyſica auſcultatione. Ille enim cõſiderat motus naturã: item motus cauſam, atq; ſubiectũ. Hoc loco explanat tãtùm ſpecies motus: quot, inq̃, & quæ illæ ſint: cuius rei cõſideratio dialectica eſt, nõ phyſica.*

## ¶ De formis Motus.

Motus autem ſpecies ſunt ſex: Generatio, corruptio, Augmentũ, Diminutio, Alteratio, ſecundum locum Mutatio.

*Sex motus ſpecies.*

*Refert in præſentia ſpecies Motus, atq; illas cõfert inter ſe. Inquit ergo, Sex ſunt Motus ſpecies, Generatio, Corruptio, Augmẽtũ, Diminutio, Alteratio, Mutatio loci. Alijs nominibus ita appellantur, Ortus, Interitus, Acceſſio, ſeu acretio, deceſſio, ſeu decretio, commutatio, loci mutatio. Numerus verò ita colligitur: Tria exiſtunt in natura, ſubſtãtia, quæ in ſubſtãtia, quæ circa ſubſtantiã: ergo ſex tantùm ſunt ſpecies. Probo conſequentiam: nam generatio, & corruptio ſubſtantiæ ſunt. augmentatio, & diminutio quantitatis. alteratio qualitatis: quæ ſunt in ſubſtantia. mutatio ſecundum locum eius eſt, quod eſt circa ſubſtantiam.*

*Quare generatio, eſt motus ad ſubſtantiã. corruptio, motus à ſubſtãtia. augmẽtatio, motus ad quantitatẽ. diminutio, motus à quantitate. alteratio, motus ad qualitatem. Vbi verò, motus ad locum.*

*Quæſtio, vtrũ Motus ſit iſtorũ genus. Ort⁹, atq; interit⁹, motus nõ ſunt, ſed mutationes.*

*Si quærat aliquis, vtrũ Motus diuidatur in ſex iſtas formas, tanq̃ genus in ſpecies. Miſſis ambagibus, dicendũ eſt, hanc nõ eſſe diuiſionem generis in ſpecies: nam motus nõ eſt genus omniũ iſtorum. Hoc cõſtat: nam generatio, & corruptio nõ ſunt motus, quoniã ratio motus in eo ſita eſt, vt ſit in eo prius, & poſterius, vt cõſtat ex eius finitione, atqui in generatione, & corruptione nõ eſt prius, neque poſterius, ſi quidem ſubito fit generatio, & corruptio non per partes, ergo*



(c) 2007 Ministerio de Cultura

*nõ ſunt motus. Vnde Ariſt. in lib. de phyſica auſcultatione, quo loco de motu ex profeſſo diſputat, generationẽ, & corruptionẽ nõ appellat Motus, ſed mutationes. Sed quid dicemus obijciẽti, Ariſt. appellare omnes iſtas ſpecies motus, cùm ait, Motus autem ſpecies ſunt ſex? Eſt ergo motus genus, atque ex cõſequenti diuiſio iſta eſt generis in ſpecies. Reſpõdebimus, in præſentia nõ fuiſſe loquutũ Ariſt. exacte, ſed rudè potius. Idẽ enim eſt dicere, Sex ſunt ſpecies motus, ac ſi diceret, Sex modis Motus dicitur. Et rurſum motu vſus eſt pro mutatiõe: hoc ille ſolet frequẽter facere: præſertim in quibus locis obiter de rebus diſſerit, nõ ex profeſſo. In hoc quoq;, vt Simplicius ait cõmẽtarijs in v. lib. de phyſica auſcultatione, Ariſt. Platonem, præceptorẽ imitatus eſt, qui omnes naturales mutationes, appellat motus: atque ideo Ariſt. Anteàquàm v. lib. de phyſ. auſcult. aggrediatur, ſine diſcrimine vtitur motu, & mutatione: ibi verò diſcrimen aſſignat.* Cur ſpecies mot⁹ appellet. Simplicius. Plato. Ariſtotelis mos.

Alij itaque motus palàm eſt quia ab inuicem diuerſi ſunt: non enim eſt generatio, corruptio, neque augmentum, diminutio, neque ſecundum locum mutatio: ſimiliter autem & alij.

*Recenſuit hactenus motus ſpecies: nũc illas à ſe diſtinguit. Eos verò motus, qui magis vidẽtur eſſe diuerſi, & quos aut nullus, aut pauci putare poſſent eoſdẽ eſſe, minimè diſtinguit. Generatio enim à corruptione planè differt, cũ ſint motus cõtrarij: itẽ augmẽtum, & diminutio eadẽ ratione. Et generatio à cæteris differt, cũ illa ſit ad ſubſtãtiã, augmẽtum ad quantitatẽ, & motus localis ad locũ. Ergo non neceſſe fuit iſtos motus diſtinguere. Quoniam verò alterationem poſſet quiſpiam putare eandem eſſe cum aliquo motuum reliquorũ, totus in illo eſt Ariſt. vt doceat differre à cæteris motibus, cùm ait.* Quorum motuum diſcrimẽ aſſignet. Alterationẽ ab alijs diſtĩguit motibus.

In Alteratione verò habet quãdam dubitationẽ, nè ſit fortè neceſſarium id quod alteratur, per aliquã reliquarũ motionũ alterari. Hoc autem nõ verũ eſt. Nam ſecũdum omnes penè paſsiones, aut complures accidit nos alterari, nulla aliarũ cõmunicante motionũ: nam neque augeri neceſſariũ eſt, quod per paſsionẽ mouetur, neque diminui: ſimiliter autem & in aliis. Quare alia præter alios motus erit alteratio: nam ſi eſſet eadem, oporteret id, quod alteratur, mox & augeri, vel minui, vel quãdam aliarũ motionum ſequi: ſed nõ neceſſe eſt. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret.



(c) 2007 Ministerio de Cultura

Sed ſunt quædam, quæ augmentantur, quæ non alterantur: vt quadratum gnomone circumpoſito creuit quidem: alteratum verò nihil factum eſt. Sic & in aliis huiuſmodi: quare alij motus ſunt ab inuicem.

*Alteratio antecedit alios motus.*

*Fortaſſe enim aliquis exiſtimaret eãdem eſſe cũ aliquo motuum reliquorũ. Verùm illã diuerſam eſſe à cæteris docet Ariſt. tametſi antecedat alios motus. Vt enim in lib. de ortu, & interitu refert philoſophus, generatio fieri nõ poteſt, niſi fiat alteratio. prius enim quàm inducatur noua forma, abiecta priori, neceſſe eſt, vt diſponatur materia, quæ diſpoſitio alteratio eſt. Antecedit ergo alteratio generationem, & corruptionẽ. Deinde augmẽtum, & imminutionem præcedit. Nã antequàm ſanguis, quo auctio fit, efficiatur, multa alteratio cibi antecedit. Idẽ cõtingit ĩ motu locali: quæ enim mouẽtur, ipſa agitatione incaleſcũt. Quare comitatur alteratio reliquos motus. Verũ eorum quoſdã antecedit, alios cõſequitur.*

*Quòd differat à reliquis motibus.*

*Quòd autẽ motus alterationis diuerſus ſit à reliquis motibus, hac ratione demõſtrat Ariſt. Si alteratio eadẽ eſſet cum aliquo motuũ reliquorũ, nõ poſſet cõtingere alteratio, niſi adeſſet ille motus, qui eſt idem cũ alteratione. ſed poteſt fieri ſine vllo alio motu, ergo nõ eſt eadẽ cum vllo motuũ reliquorũ.*

*Syllogiſmus.*

*Diſcurſus legitimus eſt, nã hypotetica collectio eſt: & ſublato cõſequenti, auferimus antecedens. maior manifeſta eſt. minor probatur. Nam corpora, quæ ſolem ſpectãt, alterãtur, cùm incaleſcunt, aut nigra fiũt: atqui neq; generãtur, neque corrũpuntur, neque mouentur vllo motuũ reliquorum, ergo fit alteratio ſine vllo alio motu. Neque etiã neceſſe eſt, vt cùm quidpiã aliquo alio motu agitatur, alteretur. Nã cùm in omnibus par ratio videatur eſſe, ſi id in vno motu nõ contingit, in nullo accidet. Antecedẽs verò probat Ariſt. Nã augeri res poteſt ſine vlla alteratione, vt cũ aqua aquæ additur: cùm linea protrahitur: & cũ gnomõ quadrato additur: fit enim amplius, at nõ alteratur. Quod præſenti figura deprehẽditur. Appellat Ariſt. gnomonẽ, diametrũ ex quadratis ambiẽtibus. Quòd ſi id cõtingit in hoc motu, cõtinget quoq; in reliquis motibus, qui magis differũt ab alteratione.*

Eſt autẽ ſimpliciter motui quidẽ quies cõtrarium: iis verò, quæ per ſingula ſunt, & ſingula: generationi quidẽ corruptio, augmẽtato verò diminutio, ſecũdum locũ mutationi, ſecundũ locum quies maximè videtur oppoſitũ eſſe, & fortè in cõtrarium loci mutatio: vt ei, quæ infe-

(c) 2007 Ministerio de Cultura

rius eſt, ea quæ ſuperius eſt: & ei, quæ ſuperius eſt, ea quæ inferius eſt. Reliquo verò aſsignatorum motuũ, non facile eſt aſsignare quid ſit cõtrarium. Videtur autẽ nihil ei cõtrarium, niſi quis & in hoc ſecundum qualitatẽ quietem opponat: aut in cõtrarium qualitatis, mutationem: ſicut & in mutatione ſecũdum locũ, quietẽ ſecũdum locum, aut in contrariũ locum mutationẽ. Eſt enim & alteratio ſecũdum qualitatẽ mutatio. Quapropter oppoſita erit ſecũdũ qualitatẽ mutationi, ſecũdũ qualitatẽ quies, aut in cõtrarium mutatio qualitatis: Albũ fieri ad id, quod eſt, Nigrũ fieri. Alteratur enim in cõtrariũ, qualitatis mutatione facta.

*Diſſerit ſtatim de oppoſitione iſtarũ formarum, docẽs quæ cui repugnet. In primis ait, Omni motui contrariam eſſe quietẽ. Ratio eſt, quia motus eſt trãſitio, quies ſtatus. Si verò ſingula genera motuum inſpiciamus, generatio corruptioni opponitur, quia altera eſt à ſubſtãtia, altera ad ſubſtãtiam: augmẽto diminutio. Quoniã verò motus ſecundum locũ eſt maximè cognitus multitudini, iure optimo dicemus illi eſſe quietẽ oppoſitã: & quoniã in motu ſecundũ locum variæ ſunt poſitiones, illæ inter ſe oppoſitæ ſunt. Nam Motus ſurſum repugnat motui deorſum. motus in partẽ anticam motui in poſticam. motus in dextrum motui in ſiniſtrã partem. motui in qualitatem quies cõtrariatur ſecũdum illam qualitatem, vt calefactioni frigefactio.*

*Quo pacto motus opponantur.*

*Motui opponitur quies.*

## ¶ *Argumentum.*

*VT diſtinguat categoriam Habere ab alijs modis, quibus dicitur Habere, atque Habitus, recenſet hoc loco Habẽdi intellectus.*

## ¶ De modis Habere.

HAbere autem multis modis dicitur. Aut enim tãquam habitum & affectũ: aut aliam quãlibet qualitatẽ, dicimur enim diſciplinam aliquã habere atq; virtutẽ. Aut tanquàm quantitatẽ: quod ei, qui magnitudinẽ habet, cõtingit: dicitur enim tricubitã habere magnitudinẽ, vel quadricubitam. Aut tãquàm ea, quæ circa corpus ſunt: vt veſtimẽtum, vel tunicã. Aut tãquam in parte, vt in manu annulum, Aut tanquã partẽ: vt, pedem, vel manũ. Aut vt in vaſe, vt in modio grana tritici, vel in lagena vinũ. Vinũ enim habere lagena dicitur: & modius grana tritici. Hæc enim omnia Habere dicuntur, vt in vaſe. Aut



(c) 2007 Ministerio de Cultura

tanquam poſſeſsionē. Habere enim domum, aut agrum dicimus. Dicitur etiam & vir vxorem habere, & vxor virum. Sed qui nunc dictus eſt modus, alieniſsimus eſt eius, quod eſt habere: nihil enim aliud Vxorē habere ſignificamus, quàm quòd cohabitant. Fortè tamen & alij quidam, eius quod eſt habere, apparebunt modi: ſed qui conſueuerunt dici, penè omnes enumerati ſunt.

*Primus modus.* *MVltos ergo intellectus continet Habere: ſed iſti ſunt maximè vniuerſales. In primis habet quis qualitatem, vt virtutem, vt ſcientiam.*

*Secūdus.* *Secundo quantitatem, vt magnitudinem trium, aut quatuor cubitorum: ſed hæc in corpore habentur.*

*Circa corpus.* *Circa corpus etiam habere veſtes dicimur, aut locū, aut tēpus: hæc enim omnia circa ſubſtātiam ſunt. Neque tantum Habere refertur ad ea, quæ circūſtant vniuerſam ſubſtātiam, ſed quæ partē: hac enim ſignificatione habere anulum dicimur, quē digito geſtamus: aut inaures, quas auribus appendimus. Habemus etiā poſſeſsiones, vt agrum.*

*Habere vxorē.* *Poſtremò habere vxorem dicimur, hoc eſt, viuere vnà cum vxore. Sed hic modus improprius eſt. Nam in cæteris id quod habet, nō habetur: qui verò vxorem habet, habetur etiam ab vxore, nam vtrique vtriuſque facta copia eſt. Efficit autem Habere peculiarem categoriam, quatenus poſitionē ſignificat ſubſtātiæ circa ſubſtantiā. Atque*

*Apoſtrophe ad Honoratum.* *hæc de categorijs dixiſſe ſufficiat. Iam tempus eſt, vt ad enarrationem lib. de interpretatione contendamus: quam intrepidè aggrediemur, ſi te nobis adeſſe ſenſerimus, vir clariſsime, & laborem noſtrū aliqua ratione probare.*

*FINIS.*

Compluti,

¶ Ex officina Ioannis Brocarij.

1558.

(c) 2007 Ministerio de Cultura

31/39

1
9

(c) 20… de Cultura

© 2007 Ministerio de Cultura

VILLALPAN

DIVS

31
39